



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio VIII. De Syllogismo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DISPUTATIO VIII.

De Syllogismo,

Nquantum hic attingemus discursum respondebit Tractatio Libr. Priorum ubi tractat Aristoteles de Discursu in Communi, ejus forma, ac Materia. Tractatio autem de Demonstratione, respondebit Libris posteriorum, ubi de hac materia Aristoteles.

QUÆSTIO I.

Explicatur natura Discursus & Syllogismi.

Discursus est Nomen translatum à cursu corporali ad motum quendam intentionalem, sicut enim per discursum corporalem movet se mobile Corporeum, ita & per discursum intentionalem, movet se Intellectus; & sicut in discursu Corporali proceditur à termino A quo, ad terminum Quem ita & in discursu intentionali, proceditur ab una cognitione notiori, tanquam à termino A quo, ad aliam cognitionem objecti minus noti, tanquam ad terminum Ad quem. Artadus verò nomine termini A quo, in progressu intentionali, intelligit objectum formale, quod per se primo attingitur à scientia & A quo primum incipit currere intellectus, terminum autem Ad quem, dicit esse Objectum materiale quod cognoscitur à potentia cū dependentia à potentia cum dependentia à Formali. Namine verò objecti formalis intelligit, præmissas, tanquam objectum formale motivum.

De Discursu.

QUÆRITUR I. *Quid sit discursus.*

RESPONDET Scotus. Discursum esse progressionem intellectus ab uno objecto ad aliud. *Hæc definitio discursus ordinariè admitti non solet.*

RATIO est. Quia competit etiam discursui virtuali, seu æquivalenti & non tantum formali: hinc allata definitio potest quadrare etiam Divinis cognitionibus, unum objectum ex alio, cognoscentibus, cum tamen ordinariè dicatur Deus non discurre.

ALITER Discursum definiunt Conimbrienses, *Quod sit progressio intellectus ab una cognitione in aliam;* Hæc, tenenda erit definitio. Cæterum hic progressus non debet esse merè successio unius post aliam cognitionem, nec debet esse

merè per accidens, & casu, sed ex antecedentibus debet educi alia. Harum autem definitionum in hoc est differentia, quia prior importat alietatem in ipsis objectis, posterior importat in ipsis Actibus.

QUÆRITUR II. *Quotuplex sit Discursus.*

RESPONDETUR Communiter. Prima divisione discursum alium esse Formalem, alium Virtuale. Formalis Discursus, est Discursus constans pluribus cognitionibus distinctis realiter, quarum una inferatur ex alia. Discursus autem Virtualis, Discursus æquivalenter, Discursus objectivus &c. (hæc enim idem sunt) Nihil aliud est, quam progressio ex uno objecto in aliud, per eandem numero cognitionem.

QUÆRITUR. III. *An discursus formalis debeat habere partes, hoc est plures Enuntiationes.*

RESPONDET. Hurtado Dis. 7. Anim. Sect. 3. Arriaga, Oviedo hic debere illum habere partes, hoc est tres virtualiter vel formaliter distinctas propositiones. Formaliter distinctæ propositiones sunt tales, sicut communiter ponuntur in Cathgorico Syllogismo. Propositiones autem virtualiter distinctæ sunt, quando simplex qualitas propositionis totum id enuntiat quod tribus aliis distinctis enuntiaretur ut si v.g. his tribus propositionibus. Omnis homo est animal; Petrus est homo. Ergo Petrus est animal, si inquam his propositionibus unico actu, præbeat assensus. Ratio communis pro responsione est. Tum quia Aristoteles in definitione Syllogismi qui in re à Discursu (ut inferius explicabitur) non differt, requirit pluralitatem actuum, vultque ut in illo non nisi ex quibusdam positis, aliud sequatur. Tum quia ubi est causa & effectus, illic debet esse pluralitas, sed inter præmissas & conclusionem est ratio causæ & effectus. Ergo. Tum quia ut unum ex alio sequatur per discursum, debet prædicatum & subiectum, prius conjungi cum Medio Terminò, iuxta Principium. Quæ sunt eadem uni tertio: conjungi autem prædicatum & subiectum Conclusionis non potest cum medio terminò, nisi sint duæ propositiones, in quarum una subiectum, cum medio terminò, & in altera prædicatum, cum eodem medio terminò, conjungantur, tertia autem propositio erit conjunctio ipsius subiecti & prædicati inter se, quæ omnia actus vel formaliter vel virtualiter plures requirunt.

Dices

Dices. Bonus est hic Discursus, Omnis homo est animal, Ergo Petrus homo, est animal, & tamen in hoc discursu, unum extremum in una præmissa, aliud autem extremum nõ in alia præmissa, sed in ipsa illa, cum medio termino conjungitur. Ergo ad discursum non est necessaria etiam virtualiter duplex præmissa.

RESPONDERI potest: quod illa illatio sit simul virtualiter & æquivalenter præmissa, illa enim illatio Ergo Petrus homo, est animal, æquivaleret his duabus propositionibus, scilicet Petrus est homo, & Petrus est animal.

RESPONDET II. Oviedo. Negando bonum illum esse discursum. Ratio negandi est, quia non innitur illi principio quæ sunt eadem uni tertio. Attendendo etiam ad Illationem, omnis homo currit. Ergo aliquis homo currit, docet Arriaga esse hic duplicem virtualiter præmissam, subintelligitur enim hæc minor sed in omnis homo, includitur aliquis homo.

De Syllogismo.

QUÆRITUR I. Quid sit Syllogismus.

RESPONDERI P. flet, hic esse difficultas, an ly: Oratio, quod adhibetur ad definitionem tam Syllogismi quam Definitionis, sit genus proximum an remotum. Censent aliqui esse hoc genus remotum, idque ideo, quia proximus genus ad Syllogismi est argumentatio. Sed hæc ratio non convincit, quia argumentatio & Syllogismus idem sunt & æquè latè patent, Ergo argumentatio non est genus ad Syllogismum. Dat aliam rationem Arriaga quare ly: Oratio sit genus remotum; quia scilicet argumentatio cum Definitione & Divisione conveniunt in hoc, quod sunt modi sciendi, Oratio autem extenditur etiam ad ea, quæ non sunt modi sciendi, hinc propositio simplex, est Oratio, & tamen non est modus sciendi. Huic etiam rationi Responderi posset, quod sicut conveniunt in ratione modi sciendi Argumentatio, Definitio, & Divisio, ita etiam in ratione Orationis, cur ergo etiam Oratio non erit genus proximum. Deinde sit licet quod Oratio extendatur etiam ad ea quæ non sunt modi sciendi, non sequetur Orationem non esse Genus, sicut licet animal extendatur ad ea quæ non sunt rationalia & non sunt homo, non sequitur tamen genus proximum hominis non esse animal. Puro itaque quod ly Oratio sit Genus proximum ad definiendum Syllogismum sitque non aliud quam operatio intellectus, quæ est Verbum mentis, quod ipsum verbum mentis, est Oratio animæ &c. Ex quo colliges & referes ad dicta superius de objecto: quod in re Oratio Logica sit Objectum Logica, quia ut dixi operationes intellectus sunt objectum Logica, Oratio autem Logica in re sunt ipsæ operationes intellectus: sed non est objectum adæquatum Logica, quia terminus per se est species ob-

jecti Logica, & tamen illi non convenit esset Orationem. Nec debet vocari nomine Orationis Logica objectum ejusdem, quia Oratio Logica, est æquè ignota ac ipsa Logica: Objectum autem scientiæ debet esse quid notius, ut ex illo dignosci scientia penitus possit. Et quia an vocari debeat Objectum Logica Oratio, est questio de voce, in qua cum pluribus sentiendum.

QUÆRES II. Quid sentiendum sit de Figura Galeni.

RESPONDETUR. Dari illam imprimis. Eò quod detur talis positio terminorum, ut id quod fuit in priori propositione prædicatum, fiat in posteriori subjectum, quod est figura Galeni rectè concludens, quia innitur iisdem principiis communibus Syllogismorum. Imò non ignoravit istam figuram Aristoteles, ut videre est secundi priorum Cap. ultimo videreque est in multis locis ita argumentantem Aristotelem. Definitur ergo hæc figura, est in qua medium prædicatur in Prima, subjicitur in Secunda Propositione. Deinde dico hanc figuram in re idem esse cum prima Aristotelica, sed tantum habet propositiones transpositas, nam ea propositio quæ secundo loco ponitur est verè Major, continet enim in se Majus extremum, & ista quæ primo loco ponitur est verè Minor, continens Minus extremum: hinc si posita loco secundo propositio, ponatur pro prima, eodem omnino modo concludet; quo prima figura. Recitat Hurado Versiculos qui denotant modos debitos Galeni Figure, consimiles tamen modis Aristotelis suntque tales.

Barnaba, Calee, Dimari, Firemo, Bamalipton.

INFER. Non ideo Galenicam figuram non esse essentialiter distinctam ab Aristotelica prima Figura, quia Galenica est reducibilis ad Aristotelicam Primam, aliàs Secunda & Tertia Figura non essent distinctæ à Prima, quia sunt reducibiles ad Primam: Sed ideo quia illic est distincta combinatio medii cum extremis, ista enim combinatio, est figura. Sed in Galenica figura, non est diversa combinatio medii cum extremis: quod probatur. Sola transpositio Propositionum non est diversa combinatio medii cum extremis, sed in Galenica, est sola transpositio Propositionum, ut dixi, Ergo.

DICES I. In nulla Aristotelica Medium prædicatur in Majori subjicitur in Minori. Ergo Galenica etiam diversam combinationem Medii cum extremis importat.

RESPONDETUR. Negando conseq. Propter Minorem quæ hic subicitur, quod scilicet in Galenica figura, medium prædicatur in Majori, subjicitur in Minori, hæc enim Minor est in re Major, quia continet Majus extremum hoc est Prædicatum conclusionis.

DICES II. Fieri poterit ut ita inferatur Conclusio in Galenica ut habeat pro subjecto id quod poni-

ponitur pro predicato in Minori, pro predicato autem habebit id, quod ponitur pro Subiecto in Prima propositione.

RESPONDETUR. Tunc non fore Categoricum argumentum, salvari tamen poterit, per hoc, quia licitum est pro conversa, convertentem ponere.

DICES III. Figura Galeni habet collocationem Propositionum diversam, à collocatione Aristotelica; Ergo differt ab Aristotelica. Probatur Conseq. Modi Figurarum differunt essentialiter, propter solam transpositionem Propositionum. Ergo & ipsa Figura.

RESPONDETUR. Distinguendo Antecedens & dicendo, quod figura Galeni habeat aliam materialiter collocationem propositionum, non aliam formaliter ut supra dicebam. Transito etiam Antec. Neg. Consequen. utramque. Quia ex alio principio sumitur distinctio Modorum ex alio verò principio sumitur distinctio Figurarum; Cum enim Figura sit combinatio medii cum extremis, ideo Principium ex quo sumitur distinctio Figurarum, est diversa combinatio extremorum cum medio: & quia posita sola transpositione propositionum, non fit diversa combinatio medii cum extremis, ideo nec diversa erit Figura. Principium autem ex quo sumitur distinctio Modorum est diversa dispositio Propositionum, secundum quantitatem & qualitatem: hinc posita diversa transpositione propositionum, necesse erit poni distinctionem Modorum. Porro cum hæc transpositio Propositionum utilis fiat quatuordecim Modis ideo & modi quatuordecim erunt. Combinatio verò extremorum cum medio, quia tantum est ternaria, hinc & figuræ, tantum tres erunt.

INFERES. *Vltra assignatas figuras, nullas alias dari bene concludendi species.* Nam Sorites est coacervatio Syllogismorum, Dilemma, est Syllogismus per divisionem, seu conjunctus, Enthymema autem, Inductio, Exemplum, est syllogismus truncatus voce. Reliqui autem Modi concludendi extra hos nulli sunt recti, & necessariò inferentes. *Contra hoc illatum*

DICES I. Ille Syllogismus, Omnis homo est animal, Omnis lapis est non animal. Ergo nullus lapis est homo, est Syllogismus bonus, & tamen nec est in Galenica, nec in Aristotelis Figura, nulla enim est hic præmissa negativa, cum infinita illa, æquivalcat affirmativa.

RESPONDERI solet Minorem quoad rem, etsi non quoad modum significandi, æquivalere huic Negativæ, Nullus lapis est animal, consequenter hoc Argumentum esse in Camestres.

DICES II. Ille Syllogismus Omnis homo currit, Petrus est homo; Ergo Petrus currit, est bonus: & tamē in nullo est modo Aristotelico, quod probatur. Quia in nullo modo Aristotelico ponitur minor singularis, & Conclusio singularis, in Darii enim v. g. ponitur minor non singularis sed particularis itemque Conclusio.

RESPONDETUR. Certum est aliud esse termi-

num vel propositionem particularem, aliud singularem, hinc expositivus Syllogismus constat tribus singularibus, recteque concludit, non concludit ex Particularibus. Discrimen autem inter singulare & particulare est, quia particulare non habet subiectum determinatum, habet singulare. Cæterum tamen hic Syllogismus ut sentit Hurtadus Disp. 10. Log. Sect. 15. n. 75. revocari potest ad Darii particularem sumendo propositionem pro quacunque, quæ non est universalis, cum ergo tam particularis quàm singularis Propositio, sit Propositio non Universalis, ideo cum particularis Minor & Conclusio cum tali dispositione medii termini debeatur Darii, etiam cum simili dispositione medii termini. Minor & Conclusio singularis, revocabitur ad Darii.

DICES III. Bonus est iste Syllogismus aliquod animal currit, omnis homo est animal; ergo aliquis homo currit & tamen hic Syllogismus in nulla est Aristotelica Figura.

RESPONDETUR. Negando. Bonum esse istum Syllogismum. Ratio est quia non necessariò concludit, potestque ei negari consequentia. Quod non necessariò concludat hoc inde est, quia non innititur Principio Quæ sunt eadem Uni tertio, neque Principio Dici de omni & Dici de nullo, quod ipsum probo. Quia non ostendit identitatem hominis & currentis quam infert in Conclusionem; quod non ostendat identitatem hominis & currentis, hoc inde est; quia quando dico aliquod animal currit, vera potest esse propositio de Bove currente & non Homine. Ergo hic Syllogismus, non ostendit identitatem inter currentem & hominem. Deinde medius terminus vel semel distribuitur, Medius enim terminus in dicto non distribuitur, Medius enim terminus in dicto Syllogismo est animal, qui neque in priori Præmissa distribuitur, quia illa præmissa est particularis; neque distribuitur in secunda præmissa, quia illa est affirmativa universalis, adeoque non distribuens Ly Animal pro predicato positum.

COLLIGES. Non dari modos indirectos in secunda & tertia Figura rigorose dictos. Quia licet in secunda & tertia Figura, possit Convertens loco Conversæ poni, non tamen per hoc fiet modus rigorose indirectus, quia in secunda figura id subjiçietur quod subjiçietur in præmissa, in tertia autem Figura id prædicabitur in Conclusionem, quod prædicabatur in Præmissa; ad Modum autem rigorose indirectum, requiritur ut non sit subiectum Conclusionis aut Prædicatum quod erat Subiectum Præmissarum aut Prædicatum.

QVÆRES III. *An universale sit illud principium regulativum Syllogismorum affirmativorum. Quæ sunt eadem uni tertio.*

RESPONDETUR. Vasquez, non esse universale immò fallibile, eò quod fallat in Divinis, iste enim Syllogismus expositivus Natura divina est Paternitas; Filiatio est Natura Divina, Ergo Filiatio est Paternitas: iste inquam Syllogismus, innititur principio huic, & tamen negari in illo debet Consequentia. Unde potius sentit Syllogismum inniti illi principio Dici de omni & dici de nullo.

Sed

Sed RESPONDENT Alii ut Hurtado disp. 10. Logica Sect. 16. Ovideo in Dial. Valere istud principium universaliter & infallibile esse.

RATIO imprimis ex Hurtado est. Dicitur de omni & dicitur de nullo; fundatur in isto Principio; Quæ sunt eadem uni tertio. Ergo si fallit principium, Quæ sunt eadem uni tertio, fallit & dicitur de omni. Antec. prob. auctoritate Arist. ex Prior. cap. 1. *In toto autem quopiam esse, & de omni quopiam esse, & de omni quopiam quodpiam prædicari, idem significat, atque tum de omni dictum prædicari, cum nihil potest subjecti sumi de quo alterum non dicatur.* Reflece te ad verba illa in toto esse & de omni quopiam prædicari idem significat.

CONFIRMATUR idem. Ideo verificatur dici de omni, quia quidquid prædicatur de superiori prædicatur de inferiori quod ipsum inde est: quia inferius identificatur cum superiori. Quod si ex identificatione inferioris cum superiori habetur, sequitur verificari illud propter principium Quæ sunt eadem uni tertio.

RATIO 2. ejusdem Hurtadi. Si falleret in Divinis principium illud Quæ sunt eadem &c. falleret etiam dici de omni in Divinis quod probatur: quia dicitur de omni, significat prædicatum unum dici de aliqua re, de omni alia quæ sit idem realiter cum illa, sed quod dicitur de natura Divina non dicitur de omni, quod est realiter natura Divina, Ergo istud etiam Principium in Divinis falleret. Minor prob. Dicitur enim de Natura quod communicetur & non dicitur de Paternitate illi identificata realiter, quod communicetur. Ergo.

RATIO 3. Ovidi. Dicitur de omni & dicitur de nullo non possunt esse strictè loquendo regulativa principia Syllogismorum in Divinis, quod probatur. Quia in Divinis non est Omne & Nullum, quia ly Omne & Nullum sunt Prædicata universalia, quæ in inferioribus multiplicantur. Natura autem Divina, non multiplicatur in Personis. *Quomodo autem istud Principium valeat in Divinis.*

EXPLICAT I. S. Thom. 1. par. q. 28. quod scilicet quæ sunt eadem uni tertio materialiter, & formaliter, ea sunt idem inter se, non verò quæ sunt eadem, uni tertio tantum materialiter, & ita actio & passio non sunt idem inter se, licet materialiter sint idem cum motu, cum ergo Paternitas & Filiatio sint idem materialiter cum natura Divina, non est necesse illa esse idem inter se. *Sed hæc explicatio indiget adhuc ulteriori explanatione.* Quia falsum est, quod ea quæ sunt idem, materialiter cum tertio, non sint realiter idem inter se, nec id probatur exemplum quod adducitur, quia etiam actio & passio, sunt idem materialiter cum motu, quantumvis non sint idem Formaliter, tamen sunt idem realiter inter se. Tum quia apud S. Thom. quæ sunt realiter idem inter se, in tantum censentur idem non esse formali-

ter, in quantum censentur, non esse idem per rationem, sive hæc sit cum fundamento in re, ut statuat distinctionem Rationis Rationatæ, sive sit cum fundamento circa rem ut statuat distinctionem Rationis Ratiocinantis. Alietas autem formalitatum, quæ fit per rationem, non facit, ut aliqua non sint idem realiter. Ergo alietas formalis inter naturam divinam & Paternitatem, item inter eandem naturam Divinam & Filiationem, non facit quo minus sint idem realiter Paternitas & Filiatio. Modus autem S. Thomæ explicari poterit per ea, quæ inferius subdam. Exemplum non exactum S. Thomæ doctrinæ non offit, quia in his requiritur Veritas ut ait pro præfenti Hurtado.

EXPLICAT 2. Scotus. Quomodo hoc principium valeat in Divinis in 1. Dist. 2. q. 4. §. 4. ad primum Principale. Quia scilicet quæ sunt eadem ex natura rei Unitertio, sunt eadem inter se, cum ergo ex natura rei, non sunt idem Natura & Paternitas, item Natura & Filiatio, ideo non erit necesse idem esse Paternitatem & Filiationem. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Quæ sunt eadem ex Natura rei uni tertio, sunt eadem inter se ex Natura rei, ergo & quæ sunt eadem uni tertio tantum Realiter, sunt idem realiter inter se, sed paternitas itemque Filiatio quantumvis non sint idem ex natura rei, cum natura Divina, sunt tamen idem Realiter cum eadem. Ergo Paternitas & Filiatio, quantumvis non sint idem ex natura rei, erunt idem realiter. Rursus quamvis animal non sit idem ex natura rei per Scotum cum rationali, quia tamen identificatur cum homine, ideo sunt idem realiter inter se animal & rationale. Ergo non ex eo argui debet aliqua non esse idem realiter, quia non sunt identificata ex natura rei.

EXPLICAT 3. Hurtado loco citato. n. 92. Quæ sunt eadem realiter & virtualiter uni tertio, ea sunt idem inter se, cum ergo in Divinis licet sit Paternitas & Filiatio licet inquam idem sit realiter cum natura Divina una, quia tamen illa natura una, est virtualiter multiplex, ideo licet tam Paternitas quam Filiatio sint idem cum natura divina, non sequitur ea esse idem inter se. Et quia diximus in materia de distinctionibus non dari distinctionem virtualem in ordine ad prædicata Physica & primo Intentionalia in Creatis, ideo quæ sunt eadem uni tertio realiter in creatis, idem inter se sunt. Idem hoc est quod dixi Summulis scilicet quæ sunt eadem uni tertio incommunicabili, sunt eadem inter se. Et hoc est puto quod voluit S. Thomas superius citatus. Sine autem recursum ad virtualem etiam identitatem, tenet prædictum Principium, hoc sensu, Quæ sunt eadem uni tertio, secundum quod sunt eadem, sunt eadem inter se, & ita in ratione naturæ, sunt idem personæ divinæ: quæ natura Divina, est illud tertium.

† R.

QUÆ

QVÆSTIO II.

De Præmissis.

OMissis facilioribus Duo restant quærenda. Primum. Quæ sit Causalitas Præmissarum in Conclusionem. Deinde Quam necessaria & impedibilis sit illatio conclusionis, post præmissas.

DIFFICULTAS I.

Quomodo Præmissæ causent Conclusionem.

DICENDUM est I. *Præmissæ non causant Conclusionem propriè Physicè, in genere causæ efficientis.*

PROBATUR I. Non est minor dependentia reliquorum actuum à potentia intellectiva quàm dependentia primi actus, nullum enim est fundamentum id afferendi, nec est ratio cur actus intellectus, qui est decimus, non potuerit esse primus &c. Sed primus actus, est talis, ut petat nonnisi ab ipso intellectu elici, ergo & reliqui actus. Minor probatur. Quia si primus actus non eliceretur ab ipsa potentia, sed ab illo actu, hoc ipso non esset primus, supponeretur enim ante illum alter, qui scilicet esset principium elicitivum illius.

PROBATUR 2. Unus actus non facit alium actum propriè efficienter, ergo nec præmissæ facient propriè conclusionem efficienter. Antec. probatur, quia nullus actus est propriè potentia, ergo nec ullus id faciet quod est proprium potentia, à qua fit productio actus.

PROBATUR 3. Vel potest intellectus solus elicere conclusionem sine concursu effectivo Præmissarum, vel non potest, si potest, ergo tu id frustra asseris, multiplicasque entia, quia potentias sine necessitate; si non potest, cur non? præcipue cum intellectus conclusionem hanc, sprout simpliciter propositio est, possit elicere sine concursu effectivo Præmissarum, Ergo poterit elicere eandem, etiam ut Conclusio est, quia in hoc nulla repugnantia.

OBJICITUR I. Id præstant Præmissæ respectu Conclusionis, quod præstant species impressæ respectu Præmissarum, Species autem impressæ non concurrunt tunc ad efficiendam Conclusionem.

RESPONDETUR. Negando quòd species impressæ, non concurrant ad Conclusionem, sed solæ præmissæ. Rursus quamvis non concurrerent species ad conclusionem, sed solæ præmissæ, nondum dandus esset concursus effectivus conclusionis præmissis, quia etiam ipsæ species impressæ complent quidem intellectum ad ponendam intellectionem, sed non coëfficiunt eandem per multos.

OBJICITUR 2. Potest Species impressa con-

currere efficienter ad producendas notitias intellectuales, Ergo & præmissæ concurrunt efficienter.

RESPONDETUR. An concursus specierum, sit concursus in genere efficientis dubium est, de hoc consulatur materia de Speciebus. Negatur etiam Consequentia. Quia supposito quòd obiectum, medio aliquo debeat concurrere efficienter ad actum intellectus, non poterit hoc in aliud referri quàm in species, quæ sunt vicariæ obiecti: jam autem efficientia actuum intellectus quamvis non tribuatur actibus, sufficienter referri poterit in ipsam intellectivam.

INSTABIS. Non potest dici, quod species impressa Conclusionis, concurrat efficienter ad Conclusionem. Supponamus enim aliquem primò cognovisse hanc Conclusionem, ergo Petrus est risibilis, ad hunc actum, non posset concurrere species illius Conclusionis impressa, nondum enim est species illius, cum antea non fuerit cognita. Ergo nec ad alias Conclusiones concurreret species impressa earundem.

RESPONDETUR. Non dari Species Conclusionis distinctas à Speciebus Præmissarum, cum nihil sit in Conclusionem, quod non fuerit in Præmissis, consequenter etiam species, quæ concurrunt ad Præmissas, concurrere poterunt ad Conclusionem. Deinde etiam concessio quod datur Species Conclusionis, distincta à Speciebus Præmissarum, adhuc illæ poterunt concurrere ad Conclusionem primò etiam positam, quia ad hoc, ut dicatur haberi alicujus Species impressa, non est necesse, ante illud fuisse præcognitum, sed sufficit vel habuisse ejus species infusas, vel fabricatas ad similitudinem præcognitarum; & sicut prima cognitio censetur elici dependentè à specie impressa, & tamen ante primam cognitionem nihil fuit cognitum, ita & in præfenti.

OBJICITUR 3. Auctoritas Aristot. ex 1. post. c. 1. & ex 2. Phys. textu 21. ubi docet Conclusionem effici à Præmissis.

RESPONDETUR. Coëffici Conclusionem à præmissis impropiè, hoc est complendo intellectum & illuminando ad faciendam Conclusionem.

DICENDUM est 2. *Causant Præmissæ Conclusionem impropiè in genere Causæ efficientis complendo & illuminando intellectum ad conclusionis assensum & effectiorem.*

PROBATUR I. Auctoritate Aristot. citati. Præmissæ non causant Conclusionem efficienter propriè, & tamen causant efficienter, ergo debent causare impropiè efficienter.

PROBATUR 2. Quia cum admittant oppositorum aliqui, quòd Præmissæ non concurrant ad Conclusionem propriè in genere Causæ efficientis, & tamè volunt illas concurrere in genere Causæ Formalis extrinsecæ, cum illis non restabit.

bit quæstio nisi de voce: An scilicet Concursus per modum illuminantis, completis sit in genere Causæ formalis intrinsicæ, & tamen in quæstione de voce cum pluribus est loquendum, nobiscum autem Thomistæ, Averis, Rubius, Smigletius, & alii loquuntur.

PROBATUR 3. Ille qui dirigit ad peccatum & instruit, censetur id facere in genere Causæ efficientis improprie, nec dicitur esse Causa Formalis extrinseca peccati, ergo & Præmissæ quæ illuminant ad assensum Conclusionis, hoc in eodem genere præstabit.

OBJECITUR. Si quocunque modo causarent Præmissæ Conclusionem deberent existere tunc, cum sit Conclusio: omnis enim causa, debet existere in instanti productionis sui effectus: sed Præmissæ non existunt tunc cum sit Conclusio, quia transacta cognitione Præmissarum, non existunt Præmissæ, sed sæpe cum est Conclusio, est transacta cognitio Præmissarum. Ergo.

RESPONDETUR. Sæpe dum est Conclusio, est transacta cognitio Præmissarum, prout absolute propositiones sunt, nunquam tamen est Conclusio, ut non sit cognitio Præmissarum tanquam ob quas fit assensus Conclusionis. De quo infra.

INSTABIS. Voluntas quando eligit Media, non adest tunc Intentio finis. Ergo nec Præmissæ aderunt cum fiet Conclusio:

RESPONDETUR Negan. Antec. Adest enim tunc Intentio finis in aliquo sui, id est in amore sui, & in cognitione bonitatis finis, quæ cognitio bonitatis, ducit ad Media, atque ita finis in aliquo sui, hoc est in cognitione illius utilitatis, quam habent media ad consequendum finem, existit tunc.

DIFFICULTAS II.

Quomodo necessitent Præmissæ ad Conclusionem.

PRÆMITTO ex Hurtado Disp. 7. Animast. Scd. 4. *Necessitatem duplicem agnoscere*: quedam necessitas est quoad speciem actus, quedam necessitas est quoad exercitum actus: tunc est necessitas quoad speciem actus, quando potentia determinatur ad aliquam speciem actus, ita ut non possit elicere actum speciei alijs v. g. quando determinatur potentia volitiva non nisi ad exercendum actum amoris, est tunc determinatio ad speciem actus. Alia necessitas quoad exercitum, quæ tunc est: quando potentia determinatur, ut ab Actu, se retrahere, illumque suscipere, non possit. Necessitati quoad speciem Actus opponitur libertas Contrarietatis, quæ est indifferentia ad actus etiam contrarios, necessitati verò quoad exercitum actus opponitur libertas Contradictionis, quæ est indifferentia ad exercendum vel non exercendum Actum. *Hoc Præmissæ,*

DICENDUM est 1. *Intellectum necessitari à Præmissis ad speciem actus, circa Conclusionem eliciendi.* Sensus est. Qui præbuit assensum Præmissis, non jam potest dissentire præbere Conclusioni. quod totum procedit de Conclusionem rectè illata, proceditque de isto, qui advertit bonitatem hanc Consequentiam, nam interdum fit ut temerè negetur Consequentia, si bonitas illationis non penetretur.

PROBAT 1. Hurtado, Qui præbuit assensum præmissis non potest dissentire Conclusioni. Ergo Præmissæ necessitant ad speciem actus. Antec. probatur. Si is qui præbuit assensum præmissis, posset dissentire Conclusioni, posset idem objectum affirmare & negare simul & semel, sed hoc est falsum, aliàs quis posset dicere, de eodem, est & non est, Ergo. Sequela probatur. Idem est objectum Præmissarum quod & Conclusionis, ut inferius probabitur, ergo si is qui præbuit assensum Præmissis, posset dissentire Conclusioni, posset idem objectum affirmare & negare.

CONFIRMATUR ex eodem. Qui semel determinatur ad Præmissas, non potest habere rationem, quæ illum dimoveat à Conclusionem, nisi etiam illum dimoveat ab aliqua Præmissa. Ergo posito assensu Præmissarum, non potest negari Conclusio. Antec. prob. Nulla ratio persuadere potest extrema non esse idem inter se, nisi persuadet extrema non fuisse idem cum medio termino, propter illud Principium, quæ sunt eadem unitertio, Ergo qui assensum præbuit Præmissis, non potest habere rationem, quæ illum dimoveat ab assensu Conclusionis.

PROBAT 2. Arriaga. Intellectus nequit dissentire vero & assentiri falso ut tali evidenter proposito, sed per præmissas proponitur intellectui, ut evidenter verum objectum Conclusionis, & ejus Contrarium ut evidenter falsum. Ergo stantibus illis Præmissis, non habet intellectus potentiam, ad negandum objectum Conclusionis, & assentiendum opposito. Minor prob. quia per præmissas proponuntur extrema Conclusionis unita cum medio termino, Ergo per illas proponitur intellectui ut evidens connexio extremorum inter se, & separatio ut evidenter falsa. Ergo ulterius per Præmissas proponitur intellectui objectum Conclusionis, ita ut nequeat illi dissentire intellectus.

PROBATUR 3. Si posito assensu Præmissarum, posset intellectus dissentire Conclusioni, posset negare Consequentiam etiam argumenti in bona forma: dissensus enim Conclusionis quæ Conclusio est, est negatio consequentiæ, sed argumento in bona forma non potest negari Consequentia. Ergo.

OBJECITUR 1. Saltem in Syllogismo probabili, nõ necessitatur intellectus ad speciem actus circa conclusionem eliciendi, Ergo nõ universaliter Præmissæ determinant ad speciem actus circa

Rr 2

Con-

Conclusionem Antec. prob. Conclusio Syllogismi probabilis est & obscura; Ergo ad illi assentiendum non necessitabitur intellectus.

RESPONDETUR. In Syllogismo probabilis non necessitatur intellectus simpliciter ad speciem actus, Conc. Antec. Non necessitatur vi superioris assensus præbiti Præmissis, Nego Antec. non necessitatur ideo simpliciter intellectus, quia objectum est obscurum in se, necessitatur autem secundum quid, quia illi obscuritati, connectitur illud principium, Quæ sunt eadem unitertio &c. cui dissentire intellectus non potest tanquam evidenti.

OBJICITUR 2. Opiniones mutari possunt; Ergo Opinabili Conclusioni non necessario intellectus assentitur, posito etiam assensu Præmissarum.

RESPONDET HURTADO. Opiniones ratione Præmissarum, quibus potest non exhiberi assensus possunt mutari, sed non possunt mutari supposito assensu Præmissarum. Deinde dici potest quod eadem sit necessitas consequentiæ tam in Syllogismo necessario quam in Syllogismo probabilis, quia utraque Conclusio inititur Principio illi Logico, Quæ sunt eadem uni tertio, licet non sit eadem necessitas Metaphysica Rei & Objecti de quo infertur conclusio; potest enim unum objectum esse necessarium, & immutabile & non aliud, si autem necessitas consequentiæ est par, non potest quis opinionem mutare titulo hoc, quasi non sit æquæ necessaria Consequentia.

OBJICITUR 3. Potest intellectus enuntiare aliquid esse, quod scit non esse verum, Ergo intellectus non necessitatur ad Speciem actus. Anteced. prob. Intellectus enunciat de Hircocervo quod sit Animal, Ergo potest enuntiare aliquid esse verum, quod scit non esse verum.

RESPONDERI solet. Possit intellectum quod scit non esse verum, enuntiare tanquam verum ex suppositione. Concedo Antec. tanquam verum absolute, Nego Antec. dici etiam posset. Quod intellectus sicut habet vim aliquid fingendi, ita habet & vim illi à se ficto tribuendi aliquid verum, verum enim est passio entis, unde & entis ficti passio, erit veritas ficta. Cæterum non est in intellectu vis ut assensu, qualis præbetur Enti non ficto, dicat Hircocervum esse Animal. hinc quando etiam committitur mendacium, non est illic assensus internus, sed est significatio externa, quam significationem externam, potest imperare locutivæ, voluntas, est enim locutiva, despoticè subiecta potentiæ volitivæ, & ejus imperio, ut ea etiam enuntiet, quæ intellectus judicat à parte sui non enuntianda. Non est autem hoc despoticum imperium voluntatis, supra intellectum; hinc si voluntas prohibeat ne dicat lingua bis duo facere quatuor, non dicet lingua bis duo facere quatuor, quantumvis autem nescio quo modo prohibeat vo-

luntas, ne judicet intellectus bis duo à se apprehensa facere quatuor, necessario tamen id judicabit intellectus.

INSTABIS. Potentia loco motiva est potentia necessaria, & tamen subest imperio voluntatis, Ergo & intellectus quamvis sit potentia necessaria, subest imperio voluntatis.

RESPONDETUR 1. Retorquendo argumentum. Potentia visiva est potentia necessaria, & quidem talis, ut possit omnibus ad agendum prærequisitis non possit non agere, nec subest in hoc imperio voluntatis, Ergo & intellectus.

RESPONDERI potest secundò. Negando consequentiam, quia nisi accedat imperium voluntatis, non potest ostendi, per quid interdum determinetur potentia loco motiva ad motum, quid enim est illud? ex quo colligimus, interdum imperium voluntatis, esse inter conditiones prærequisitas ad agendum potentia loco motiva, dixi interdum, nam tremor ille manus, qui in juvenibus ex voluntate non nisi provenit, potest invitis provenire senibus: sine autem imperio voluntatis, potest ostendi principium, quod movet intellectum nempe Claritas & Certitudo objecti illius: quæ sunt eadem unitertio &c.

DICENDUM 2. Intellectum necessitari à Præmissis ad exercitium actus circa Conclusionem. Sensus Conclusionis est. Quando v. g. intellectus assensum præbuit Præmissis, item quando penetrato principio: Quæ sunt eadem unitertio, eam vim Syllogismo inclusam esse advertit, non potest cohibere se, quin actu moveat se ad assensum. Ita Hurtado disp. 7. Animæ Sect. 4. n. 27. Arriaga hic, Oviedo citantes pro se S. Thomam in secundum Distinctionum quæst. 1. ar. 2. in 8.

PROBATUR 1. Autoritate Aristotel. 7. Et hic: Cap. 3. Ubi Philosophus inquit, *Posita una universali Propositione, & altera particulari, animam statim agere, necesse est.*

PROBAT 2. Hurtado. Intellectus est potentia necessaria, non potestque suspendere actum suum, si habeat omnia ad agendum requisita, sed posito assensu Præmissarum habet omnia requisita ad exercitium assensus circa Conclusionem, Ergo posito assensu Præmissarum necessitatur intellectus ad exercitium. Minor prob. quia requisita ad agendum assensum Conclusionis sunt, sufficiens objecti representatio, bonitas consequentiæ &c. quæ omnia tunc habentur. Ergo.

PROBATUR 3. Posito assensu Præmissarum, ita est applicatus intellectus ad agendum assensum Conclusionis, atque erat applicatus ad agendum assensum Præmissarum, sed ad agendum assensum Præmissarum quem elicit, sufficienter ante applicatus erat, ergo ad agendum assensum conclusionis, est sufficienter applicatus. Minor probatur. Sufficiens applicatio intellectus

ad dandum assensum Præmissis, in hoc erat, quia erat debita apprehensio terminorum, & apprehensio connexionis illorum, cum medio Termino, sed posito assensu Præmissarum, est debita apprehensio Terminorum & apprehensio connexionis illorum inter se. Ergo. Hæc; tota Probatio procedit etiam de assensu Conclusionis ex probabilibus Præmissis deductæ, quibus cum liberum sit assentiri, posito tamen assensu, necessitatur intellectus ad Conclusionis assensum, propter evidentiam principii illius: Quæ sunt eadem unitertio &c. Quod si intellectus ad ponendum assensum conclusionis, est sufficienter applicatus; indubiè ponere illum debet, quia omnia necessaria, posita sufficienti applicatione, indubiè agunt.

RESPONDERI solet. Inter prærequisita ad assensum circa Conclusionem, esse imperium voluntatis.

CONTRA. Saltem non est universale, esse inter prærequisita ad ponendum assensum conclusionis, Imperium voluntatis. Dantur enim, aliqui assensus in materia necessaria, qui nullo modo dependent ab imperio voluntatis, ad ista enim est imperium voluntatis, quæ sunt vestita ratione boni. Sed aliqui assensus non sunt vestiti ratione boni. Ergo ad illos non datur imperium voluntatis. Major probatur. Imperium voluntatis, est ad actus voluntatis, actus autem voluntatis non potest esse nisi circa ipsum bonum, ut docetur communiter. Sicut actus auditus, non potest esse circa visibile, sed circa sonum, quia objectum auditus sonus est. Minor princip. probatur. Quod bis duo faciant quatuor, istud nullo modo est vestitum ratione boni, item quod ignis approximatus urat, nullā habet rationem boni, si tantum secundum Physicam exigentiam spectetur. Ergo dantur aliqui assensus necessarii, qui non sunt vestiti ratione boni. Tum quia. Datur aliquis actus intellectus præcedens omnem actum voluntatis, Ergo poterit dari & assensus intellectus, qui præcedat actum voluntatis, Ergo ulterius potest dari assensus aliquis, non indigens imperio voluntatis. Antec. probatur, quia prius est cognitum quàm volitum, & primus ex omnibus actibus Creaturæ rationalis, est actus intellectus, neque enim voluntas se movet, nisi præluceat intellectus. Consequentia probatur Paritate rationis; probato autem quod detur aliquis actus intellectus, præcedens imperium voluntatis, inferendum erit. Ergo poterit dari etiam assensus Conclusionis, sine imperio voluntatis. Tum quia Assensus Conclusionis necessaria, nō est dependens ab imperio voluntatis, Ergo & assensus Conclusionis probabilis. Antec. probatur. Supponatur per impossibile, posito assensu Præmissarum, posita penetratione circa bonitatem illationis, supponatur inquam non accedere imperium voluntatis, vel assentietur tunc intellectus vel non assentietur, si assentietur. Ergo

apparet istud imperium non esse ad assensum requisitum; si non assentietur, certum est, quod positivè non sit dissensurus, nam nullus bene dispositus intellectus, potest negare, quod bis duo faciant quatuor, quod etiam non posito imperio voluntatis non sit intellectus se suspensurus, ab actu Probatur. Quia primus actus intellectus non potest suspendi ex imperio voluntatis, aliàs ante istum actum primum intellectus daretur alius prior, qui scilicet præluceret voluntati, non licentianti intellectum ad dandum assensum. Deinde dum est assensus, non potest suspendi ab imperio voluntatis, ut non sit, aliàs idem erit & non erit. Ergo & dum est assensus præbitus Præmissis, & posita est sufficiens advertentia circa bonitatem Illationis, non potest suspendi assensus Conclusionis. Conseq. probatur, quia tam necessarium est, hoc quod est, esse, quàm necessarium est, ut ea, quæ sunt idem Unitertio, sint idem inter se. Deniq; revera est merum figmentum & arbitrariè usurpatur, esse hoc imperium inter prærequisita ad agendum intellectui: dicam & ego ignem nunquam urere, nisi accesserit imperium Intelligentiæ, quæ præest elementis, & quicquid contra hoc figmentum dictum fuerit, idem applicari poterit contra eum, qui hoc imperium requirit. Consequentia autem Enthymematis principalis probatur. Vel innititur bonitas Consequentia in Syllogismo probabili eidem principio, cui innititur bonitas Consequentia in Syllogismo necessario vel non innititur eidem principio: si non innititur, ergo non stas in suppositione, supponit autem id Conclusio & probant Dialectici eidem principio utramque inniti: deinde Conclusio nostra supponit esse illic bonitatem Consequentia necessariam, & hac bonitate supposita querit, an possit circa assensum exhibendum, suspendi potentia: si autem eidem principio innititur iam Consequentia probabilis Syllogismi, quàm Consequentia necessaria: ergo circa utramque æquè necessariò exercetur actus. Ideo enim in materia necessaria, cogimur ad exercitium actus, quia urget principium: Quæ sunt eadem uni tertio, sed etiam in Syllogismo probabili, urget principium. Quæ sunt eadem uni tertio. Ergo, ubi ut vides dico, Conclusioni in materia probabili, quæ simpliciter Propositio est, posse non tribui assensum, seu ipsi objecto præcisè secundum se spectato posse non præberi assensum: licet Conclusioni ex Præmissis deductæ, & innitenti illi principio: Quæ sunt eadem, non possit non præberi assensus ex suppositione præbiti assensus Præmissis.

Fundamenta in Oppositum.

OBJECTUR I. Intellectus est potentia subordinata imperio voluntatis. Ergo potest ab exercitio assensus impediri à voluntate. Antec.

† Rr 3 probatur

probat. Actus fidei imperatur ab actu voluntatis, quantumvis Actus fidei spectet ad intellectum. Hinc Theologi ante omnem actum Fidei, prærequirunt Piam affectionem. Ergo intellectus est potentia subordinata imperio voluntatis.

RESPONDETUR. Negan. Antec. & distinguendo ejus Consequens. Ergo intellectus, est potentia subordinata imperio voluntatis, in ordine ad assensum circa objecta certa sed obscura; Concedo Conseq. in ordine ad objecta certa & evidentia; Nego Conseq. Jam verò supposito assensu Præmissarum certum est & evidens, extrema Conclusionis, esse connexa, inter se, propter principium: Quæ sunt eadem uni tertio. Quanquam etiam in Syllogismo continente articulos fidei, requiritur quidem pia affectio imperans assensum præmissis, sed præbito assensu præmissis, necessariò jam sequetur assensus illi Conclusioni, critque liber denominativè ratione imperii voluntatis, imperantis assensum Præmissis illis. An verò assensus ille Conclusionis, sit futurus Fidei actus, de hoc in Materia de Fide.

INSTABIS I. Experimur assensu præbito Præmissis, posse nos pro nostro arbitrio, suspendere assensum Conclusionis, in quacunque materia, sed maximè in probabili. Ergo intellectus, est potentia subordinata, & non in ordine ad solos assensus obscuros.

RESPONDETUR. Experientiam hanc veram esse, si fuerimus assensu Præmissis, quæ simpliciter Propositiones sunt, non verò si fuerit assensus illis præbitus, tanquam causis Conclusionis, & attempta connexionem inter se extremorum ob connexionem investigatam eorundem, cum Medio.

INSTABIS II. Datur pia affectio ad assensum fidei cujus objectum est certum sed inevidens, Ergo & ad assensum Conclusionis in materia nec certa nec evidenti, dabitur imperium voluntatis.

RESPONDETUR. Nego. Conseq. Disparitas est. Quia intellectus circa Materiam certam sed inevidentem, non habet omnia requisita ad agendum, in Materia autem nec certa nec evidenti, posito assensu Præmissarum habet intellectus omnia requisita ad agendum, quod ipsum probatur. Quia ratione principii regulativi Syllogismi: Quæ sunt eadem uni tertio habet & certitudinem & evidentiam.

INSTABIS III. Ergo saltem habetur intellectum posse aliquando suspendere assensum.

RESPONDETUR. Potest intellectus suspendere assensum, quando non habet omnia requisita ad agendum, hoc ipso enim non habet rationem Principii necessarij, adeoque dare potest locum voluntatis imperio, tanquam supplemento illius præquiri, quod intelligitur non haberi.

OBJICITUR II. Habitus non dantur ad actus,

qui non subduntur imperio voluntatis, Ergo si assensus Conclusionis non subderetur imperio voluntatis, non darentur habitus ad illam eliciendam. Sed dantur, Ergo.

RESPONDETUR. Negando Majorem.

OBJICITUR III. Nullum est bonum creatum, à quo necessitetur voluntas, Ergo neq. verum, à quo necessitetur intellectus.

RESPONDETUR. Negando Conseq. Disparitas reddi solet. Quia voluntas est potentia libera, adeoque potest cohibere suum assensum, etiam si habeat omnia ad agendum requisita, nam hoc exigit definiti libertatis: intellectus autem, est potentia necessaria, adeoque positus omnibus ad agendum prærequisitis, suum assensum cohibere non potest: habet autem ad assensum Conclusioni legitimè deductæ ex Præmissis omnia requisita. Potest & alia disparitas assignari. Quia nullum est bonum creatum, quod sit sine mistura mali, si ergo est cum mistura mali, sicut movet voluntatem ad sui amorem, ita & retinebit ab amore; debebat ergo poni in voluntate pondus quoddam, quo potius in hanc quam in illam partem inclinando, prævaleat voluntas: & hoc est libertas illius, quæ se ad hanc potius, quam ad illam partem determinat: Jam verò datur verum creatum, sine mistura falsi: & talia sunt principia lumine naturæ nota, propositiones æternæ veritatis, & ex illi deductæ Conclusiones. Cum ergo etiam principium illud: Quæ sunt eadem uni tertio, tam in Syllogismo Probabili sit, quantum est de se, sine mistura falsi: ideo necessariò illi, & Conclusioni in illo fundatæ, necessariò inquam exhibebitur assensus; dixi quantum est de se, quia si objectum Conclusionis probabilis spectetur secundum se, & ut Propositio est, non meretur nisi arbitrarium assensum: licet necessitetur intellectus ad assensum in quantum jam deductum ut ante etiam dixi.

INSTABIS. Non potest esse major Connexio extremorum inter se, quam fuerit eorundem Connexio cum Medio in Præmissis. Sed Connexio eorum cum Medio in Præmissis argumenti Theologici fuit exigens imperium voluntatis. Ergo etiam in Conclusionem exigit. Ergo ulterius non necessitabitur intellectus ad exhibendum assensum.

RESPONDETUR. Distin. Major. Non potest esse major Connexio extremorum inter se, vi præcisè ipsius objecti, quam fuit connexio cum Medio, Concedo Majorem vi alius principii Nego Majorem. Concessa minori Distin. Conseq. & Neganda Consequentia. Principium autem illud vi cujus habent majorem Connexionem inter se extrema in argumento Theologico, quam præcisè habeant ratione sui, est illud, Quæ sunt eadem uni tertio. Unde etiam Conclusioni ex probabilibus deductæ, ut assentiamur secundum quod propositio est, necessarium

cessarium est imperium voluntatis, licet non sit necessarium, in quantum jam deducta est, & in quantum innitens Principio, Quæ sunt eadem uni tertio.

OBJICITUR IV. Assensus Præmissarum probabilium indiget imperio voluntatis. Ergo & assensus Conclusionis in materia probabili indiget hoc imperio.

RESPONDETUR. Negando consequentiam, disparitas est. Quia nullum est Principium, quod necessitet ad assensum Præmissarum probabilium, est autem Principium quod necessitet ad assensum Conclusionis in materia probabili, nempe Principium, Quæ sunt eadem uni tertio: immò hæc indifferentia, quæ est ad assentiendum propositioni probabili, non oritur ex indifferentia potentiae, sed ex mala propositione objecti, & defectibilitate illius.

OBJICITUR V. Si voluntas non posset impedire intellectum ab assensu Conclusionis, sequeretur, quod si Conclusio sit Practica de aliquo objecto amando, voluntas necessario illud amabit, quod est absurdum: aliàs iste actus, non esset humanus, quia non esset liber, consequenter nec meritorius. Sequela probatur. Ideo appetitus brutorum necessario fertur in objectum, quia sensus necessario iudicat objectum illud bonum, Ergo & voluntas necessario fertur in objectum, quia intellectus iudicat necessario illud esse bonum.

RESPONDERI SOLET. Concedendo sequentiam, idque ad mentem Aristot. qui I. Ethicor. cap. 3. non iudicat absurdum, posito dictamine practico, necessitari voluntatem. Posset & Disparitas assignari inter appetitum brutorum & voluntatem, non ideo enim adæquatè appetitus brutorum necessario agit, quia sensus illorum utcumque necessario fertur in objectum, sed illa necessitatio à duplici Principio provenit: nempe à cognitione sensuum necessaria, deinde ab ipsa natura appetitus determinati, ut si omnia habeat ad agendum requisita, necessario agat: jam verò voluntas creata non est potentia ita determinata, cum enim sit potentia libera, positis omnibus prærequisitis, potest agere, immò & Motus primo primi, non ideo sunt necessarii quia prævia cognitio ita iudicat, sed quia præveniunt omnem advertentiam & deliberationem. Deinde dici potest aliud est necessitari intellectum ad iudicandum ex suppositis præmissis, quod hoc sit bonum, ut aliud est iudicare quod sit bonum nullam mixturam mali habens, saltem in apprehensione, primum illud contingit in Syllogismo illo practico, non contingit secundum, si non contingit secundum, dat locum ut adhuc liberè voluntas moveatur.

OBJICITUR VI. Præmissis suppositis potest voluntas imperare Conclusionem directam vel indirectam. Ergo Conclusio non elicitur in dependenter ab imperio voluntatis. Antec. pro-

batur. Ex his Præmissis: Omnis homo est animal, Petrus est homo, potest intellectus elicere vel hanc Conclusionem directam. Ergo Petrus est animal, vel hanc indirectam, Ergo aliquod animal est Petrus. Ergo

RESPONDET HURTADO. Suppositis Præmissis, si æquè utraque proponatur Conclusio inferenda, non potest voluntas imperare directam vel indirectam Conclusionem, sed utramque intellectus inferet, quod si non æquè utraque proponatur intellectui conclusio inferenda, eam inferet cuius speciem efficaciorē habebit, quæ ut plurimum, solet esse directam.

ADDIT OVIEDO. Conclusionem vocalem imperari posse à voluntate directam vel indirectam, sed non Conclusionem mentalem, respectu enim ejus non habet libertatem intellectus, sed utramque eliciet, quia ad utramque eliciendam habet omnia requisita.

ADDI POTEST ULTERIUS. Quod intellectus sit indifferens ad hanc vel illam Conclusionem, non sit tamen indifferens ut neutram eliciat, unde ut alterutram eliciat, necessitatur, ut autem hanc potius quàm illam, pendet hoc à voluntate, ad eum planè modum, quo si oculo plura objecta proponerentur, esset ille necessitatus ad videndum, quod verò ex his videre deberet, posset à voluntate determinari.

OBJICITUR VII. Positis his præmissis. Omnis homo Mendax, Christus est homo, manet suspensus intellectus ne inferat, Ergo Christus est mendax, Ergo apparet non determinari intellectum ad assensum Conclusionis ab objecto Præmissarum.

RESPONDETUR. Manere suspensum intellectum, quia non penetravit sufficienter vim Præmissarum, si enim vim illarum apprehendisset intellectus, distinxisset illas; si autem sufficienter vim Præmissarum non apprehendit intellectus, hoc ipso non necessitabitur ad assensum Conclusionis: tunc enim ille necessitatur ad assensum, quando habet omnia requisita, inter quæ, est sufficiens penetratio Præmissarum; hinc infidelis qui censet se vim Præmissarum bene apprehendere, non suspendit intellectum ad inferendam hanc propositionem. Ergo Christus est mendax, Christianus autem redit ad penetrandas Præmissas.

RESPONDERI POSSET & paulò aliter. Posito assensu illarum Præmissarum, manere suspensum intellectum, ad assensum eliciendum illi propositioni, Christus est Mendax, secundum quod præcisè propositio est, non verò secundum quod deducta & illata est: & sicut Aristoteles quando in materia falsa formam Syllogisandi ostendit, v. g. docendo Omne A. est C. omne B. est A. ergo omne B. est C. non erat suspensus ad inferendam Conclusionem in quantum Conclusio est, licet certò Præmissas non ita se habere iudicaret: ita & hic manet suspensus

intellectus, ad hanc propositionem, Christus est Mendax, prout præcisè propositio est, non verò prout deducta & innitens illi principio, Quæ sunt eadem &c.

ADDO. Signantur & per modum Conclusionis. Posse intellectum, impediri à voluntate ab assensu Conclusionis indirecè ut si illum avocet ad aliud cogitandum, vel si nimium sit intentus alteri cogitationi, vel non attendat ad connexionem extremorum quæ sequitur ex connexionem cum medio. Ratio horum est ex Oviedo quia inter requisita ad agendum, est, ne intellectus sit nimium intentus, & ut advertat ad istam connexionem, quam esse necessitativam ad assensum exhibendum, dictum.

DIFFICULTAS III.

De habitudine Conclusionis ad Præmissas.

TRactabimus hic de hac difficultate. An Conclusio respiciat objecta Præmissarum.
Sit

Punctum Difficultatis I.

Premittuntur quedam.

PRÆMITTO I. Ex Arriaga hic Sect. 4. n. 23. *Statum difficultatis in hoc esse.* Quæritur, An quando ego assentior Conclusioni, cognoscatur tunc ratio motiva assentiendi quæ ratio motiva, est ipsum objectum Præmissarum v. g. quando ita dico: Omnis homo est rationalis, Petrus est homo, Ergo Petrus est rationalis, an tunc inquam, ideò huic propositioni assentiar, quia est homo, & omnis homo est rationalis.

PRÆMITTO II. Ex Oviedo. *Dupliciter attingi posse objectum Præmissarum* imprimis tantum ut Quo, deinde & ut Quo & ut Quod simul. Tantum ut Quo attinguntur Præmissæ, quando attinguntur tanquam ratio motiva assensus, ut Quod & Quo attingitur objectum præmissarum quando attinguntur non solum ut ratio Motiva assensus, sed etiam ut de illis ipsis formetur assensus, & aliquid enuntietur vi talis actus. Præsens quæstio inquit: An ab actu illativo, attingatur objectum Præmissarum, tantum ut Quo.

PRÆMITTO III. *Quare queratur an Conclusio respiciat objecta Præmissarum, non verò queritur An Conclusio respiciat Præmissas.* Cujus ratio reddi posset. Quia ly Præmissa ex communi phrasi dicit actum mei intellectus affirmantem vel negantem, seu potius enuntiantem in ordine ad actum inferendi qui subsequitur: jam autem ratio motiva ad assensum Conclusionis, non est actus mei intellectus affirmans vel negans, sed ratio motiva, est ipsum illud affirmatum vel ne-

gatum, hoc est objectum Præmissarum; v. g. quando dico: Ergo Petrus est rationalis, propter medium terminum, quia est homo, ratio motiva assensus ad hanc Conclusionem est, quia est homo, non verò, quia ego assentior cogitoque illum esse hominem, quamvis ego enim id negem & non cogitem, erit tamen Petrus rationalis, ex hac objectiva ratione; quia est homo. Breviter hoc Præmissum indicat, quod ratio assentiendi Conclusioni sint Præmissæ non formales sed objectivè sumptæ, casu quo illas respicere debeat Conclusio.

PRÆMITTO IV. *Actum Conclusionis debere habere aliquid intrinsecum, sui constitutivum per quod à reliquis assensibus differat.*

RATIO. Tum quia quæcunque alia, habent aliquid intrinsecum sui constitutivum, Ergo idem dicendum de Conclusionem. Tum quia ut urget Arriaga, nisi Conclusio intrinsecè differret ab assensibus Præmissarum, multi essent Syllogismi, in quibus non posset ostendi, quis actus defecto esset Conclusio, quod est absurdum. Sequela probatur. Suppono quod dantur tales Syllogismi in quibus quæcunque; ex Præmissis potest esse Conclusio & ex Conclusionem potest esse quæcunque Præmissa, ut videri est in omnibus Expositoriis v. g. Petrus est Rex, Hic homo est Petrus, Ergo hic homo est Rex. Ex hac Conclusionem potest esse Præmissa. Hic homo est Rex, Petrus est hic homo, Ergo Petrus est Rex. Quod si dantur Syllogismi in quibus quæcunque ex Præmissis potest esse Conclusio, & ex Conclusionem Præmissa, si Conclusio intrinsecè non differret ab assensibus Præmissarum, hoc ipso non posset dici quis actus defecto sit Conclusio. Tum quia si Conclusio non habet aliquid intrinsecum sui constitutivum non habet Conclusio, quod sit Conclusio, hoc enim Quo Conclusio esset conclusio, hoc inquam, esset illud intrinsecum constitutivum Conclusionis, si autem non haberet Conclusio, quo esset Conclusio, non esset Conclusio, quia nihil est, sine eo Quo est.

PRÆMITTO V. *Difficultatem esse Quodnam sit illud intrinsecum per quod differt Conclusio à Præmissis.*

EXPLICANT I. Aliqui Constitutivum illud esse, quia Conclusio pendet ab aliis probationibus, seu quia Conclusio habet se per modum illuminatæ, Præmissæ per modum illuminantis.

CONTRA est I. ex Arriaga. Quia querere testat cur potius illuminare dicatur Præmissa Conclusionem, & non illuminari à Conclusionem, tanquam à complemento discursus.

CONTRA II. Per oppositos Propositio est indifferens ad hoc, ut si vel una ex Præmissis, vel ut sit Conclusio, quod ergo est hic determinativum ut habeat hæc Propositio rationem illumi-

illuminativæ seu præmissæ, illa illuminatæ seu conclusionis.

CONTRA 3. Tum quia de hoc ipso quæritur: quid est hoc conclusionem pendere à præmissis. De hoc ipso quæritur, quid est hoc habere se conclusionem per modum illuminatæ, præmissas per modum illuminantis, quærereq; restabit quæ sit nota quod conclusio à præmissis non præmissæ à conclusione pendeant.

EXPLICANT 2. Alii intrinsecum constitutum conclusionis. Quia conclusionem præcedunt Præmissæ si non tempore, saltem naturâ.

CONTRA. Quia quærere restat in quonam sita sit ista præcedentia præmissarum, quomodoq; hæc præcedentia serviat, ut sit intrinsecum constitutum conclusionis.

EXPLICANT 3. alii. Quod intrinsecum constitutum conclusionis, stet in hoc: quia conclusio respicit objecta præmissarum. Ratio, quia nullum aliud ostendi potest intrinsecè constitutum, & quia nisi hoc dicatur, non poterit salvari particula in definitione Syllogismi posita: *Eo quod hæc sint*, ut hoc explanetur. *Sit*

Punctum Difficultatis 2.

An Conclusio respiciat Objecta Præmissarum.

DICENDUM est. *Quod conclusio respiciat objecta præmissarum.* Ita S. Thom. de Veritate quæst. 22. ar. 4. ad 3. & 1ma 2dæ quæst. 8. ar. 3. in (.) ubi expressè fatetur per actum conclusionis attingi etiam ipsa principia quæ prius fuerunt cognita. Sanctum Thomam sequitur Arriaga, Oviedo hic, & alii apud illos.

PROBAT 1. Arriaga. Intellectus est potentia omnino necessaria in suis operationibus, efficiens quantum potest: Ergo si per actus præmissarum semper proponitur illi veritas conclusionis, ut connexa cum veritate præmissarum, semper & necessariò intellectus ita assentietur: Sed proponitur semper veritas conclusionis ut connexa cum veritate præmissarum. Quod ipsum probatur. Quando dico, omnis homo est animal, Petrus est homo, Ergo Petrus est animal, non solum per illas præmissas proponitur mihi connexio inter Petrum & animal, sed etiam hujus ratio, quia scilicet Petrus & animal sunt idem cum uno tertio, hoc est cum homine.

RESPONDERI posset Hoc ipsum ulterius probari debere, quod semper in assensu conclusionis proponatur ratio prædicta.

PROBAT 2. Oviedo. Aliqua debet assignari ratio propter quam ex tribus propositionibus duæ sunt præmissæ, & tertia conclusio: sed non potest esse alia, nisi quia assensus conclusionis fertur in objectum præmissarum tanquam in

formale motivum, assensus autem præmissarum, non attingit objectum conclusionis.

RESPONDERI posset. Quod explicari deberet, quare præmissæ non ferantur in objectum conclusionem, cum præmissæ ferantur in objectum suum, idem autem est objectum conclusionis & præmissarum. Explicari item deberet quomodo etiam conclusio, non sit motivum assensus, casu quo præmissæ possit probari per conclusionem, ut cum dico. Dies est, ergo sol est, poterit per conclusionem probari præmissa, Sol est, ergo dies est, ut etiam in simili, arguit Oviedo.

PROBATUR 3. Si conclusio non respiceret objecta præmissarum, conclusionis assensus non fieret propter præmissas tanquam propter motivum, idem enim est in præsentem conclusionem respicere objecta præmissarum, & conclusionis assensum, fieri propter præmissas, ut dictum supra. Sed conclusionis assensus fit propter præmissas tanquam propter motivum, quod probatur. Si conclusionis assensus non fieret, propter præmissas tanquam propter motivum, syllogismus non inniteretur huic principio quæ sunt eadem uni tertio. Sequel. probatur. Nihil esset, cui assensus præberetur propter connexionem cum aliquo tertio: Ergo syllogismus non inniteretur huic principio. Et certè nihil aliud est conclusionem respicere objecta præmissarum nisi assensum præberi tertiæ propositioni, propter connexionem cum aliquo tertio.

CONFIRMATUR. Quia nisi fiat assensus conclusioni propter præmissas, seu propter respicere objecta præmissarum, non poterit ostendi per quid conclusio extrahatur à mera ratione secundæ operationis. Neque valet si dicas, extrahi per denominationem extrinsecam; Tum quia per quid transitur ad illam ipsam denominationem extrinsecam. Tum quia secundæ operatio non est duplicata prima operatio, sed extrahitur ad rationem secundæ, per rationem enuntiativi iudicii, non autem per meram denominationem extrinsecam. Ergo & tertia operatio, non erit mera denominatio extrinsecam. Tum quia præmissa non sortitur denominationem conclusionis, ergo debet haberi aliquid in tertia propositione, ratione cuius servire illi possit id, quod tu appellas denominationem extrinsecam, hoc autem non aliud est, nisi assensus; *Eo quod hæc sint*, adeo: quod sit assensus ob præmissas, seu ob respicientiam objecti præmissarum, quæ omnia idem sunt.

ADDO tamen. Assensum propter præmissas, non debere esse propter præmissas reflexè, iteratò, in conclusione cognitæ, distinctoque actu tractas. Ratio: quia hujus nulla necessitas, essetque hoc multiplicare assensus sine necessitate, præcipue cum id etiam non experiamur.

RESPON-

RESPONDETUR 1. Intellectum distractum non reflectere se ad connexionem cum medio, consequenter nec assentiri propter objectum præmissarum.

CONTRA. Tum quia probandum esset, hanc distractionem semper contingere, si autem non contingit semper, quærere restabit: An non distractus intellectus moveatur objecto præmissarum. Tum quia potest distractus intellectus non necessitari ad conclusionem, neque tamen inde rectè inferitur, posse præbito jam assensu, non præberi assensum conclusioni. Ergo nec rectè ex eadem distractione inferetur, quod intellectus concludens, non respiciat objecta præmissarum. Tum quia intellectus ille distractus, vel adhuc elicit actum conclusionis vel non elicit; si non elicit non procedit de illo conclusio, si elicit, ergo debet ostendi constitutum illius assensus in ratione conclusionis, hoc autem non aliud est ex dictis, nisi respicientia sola, objecti præmissarum.

RESPONDETUR 2. ex Ripalda apud Oviedo. Quod constituatur conclusio, non per respicere objecta præmissarum, sed quia deficientibus aliis propositionibus, deficit conclusio, cum tamen deficientibus aliis, non deficiat præmissa.

CONTRA. Quia vel accipitur conclusio ut conclusio est, vel accipitur ut propositio est, si accipitur ut propositio est, certum est, quod deficientibus præmissis, non deficiat conclusio, est enim jam tunc ita se habens, ac præmissa, quæ tamen tunc non deficit; Si autem accipitur conclusio quæ conclusio est, illa verum quidem est, quod deficientibus præmissis deficiat, sed si quæretur quare ita deficiat, bene id referri potest, quia jam non respicit præmissas, quod tamen intenditur in præsentia. Deinde deficiente etiam conclusione deficiunt præmissæ quæ præmissæ sunt, ergo si ex mera deficientia arguitur formalitas conclusionis, ea etiam præmissis competet. Quod autem deficiente conclusione deficiat præmissa quæ præmissa est, exinde colligitur. Quia præmissa respectu sui non præmittitur, neque respectu aliis præmissis, ergo præmittitur respectu conclusionis, conclusio enim non respectu sui, est clausio cognitionis, sed respectu præmissarum. Denique præmissa quæ præmissa, & conclusio quæ conclusio, sunt quid correlativum: jam autem uno correlativorum ablato, & aliud aufertur.

RESPONDEBIS 3. Respici non nisi interdum præmissas à conclusione, sed non semper, eò quod detur in rudibus assensus conclusionis, qui tamen non est propter illud principium, *Quæ sunt eadem.*

CONTRA. Etiam in rudibus, quando datur assensus conclusionis, datur assensus propter illud principium. *Quæ sunt eadem*, non quidem universaliter & abstractè cognitum, sed tamen

propter cognitum restrictè & in particulari, hinc si quæratur etiam ex rudissimo: istenè est tuus frater? respondebit, Est, ejusdem sumus patris filii, quod est assentiri, propter principium: *Quæ sunt eadem.*

RESPONDEBIS 4. Ex Mastr. hinc disp. II. n. 12. Ly Ergo, solum significat dependentiam conclusionis à principiis, dependentia autem formaliter, non est id, à quo aliud dependet.

CONTRA. Concedo quod dependentia formaliter, non sit id, à quo aliud dependet, adeoque concedo, quod conclusio non sit præmissæ, à quibus dependet, sed si est dependentia conclusionis, à præmissis, hoc ipso conclusio respiciet objecta præmissarum; nihil enim aliud in præsentia intenditur. Quando autem idem Mastrus dicit: sicut cum cognoscimus creaturam ut dependentem à Deo & universaliter cum cognoscimus effectum proveniente à causa, non sequitur causam includi in effectu, Deum in creatura, ita nec sequetur, quod conclusio attingat principia; quando inquam id dicit non convincit. Nam quamvis effectus non includat causam, aliàs idem se ipsum causaret, attingentia tamen effectus propter causam, non relinquit intactam indirectè saltem causam, aliàs, hoc ipso non esset attingentia propter causam ita quamvis conclusionem non ingrediantur præmissæ, quasi sint conclusio, attinguntur tamen, quia conclusio, sit propter præmissas.

RESPONDEBIS 5. ex eodem. Per ly Ergo non exprimi dependentiam ipsius assensus, ad assensum præmissarum, exprimi tamen dependentia objecti conclusionis ad objectum præmissarum, quia per talem assensum, intellectus percipit veritatem conclusionis esse mediatam, & à veritate præmissarum causatam.

CONTRA. Quia etiam posito non exprimi dependentiam, ipsius assensus ad assensum præmissarum, si exprimitur dependentia objecti conclusionis ab objecto præmissarum, habetur jam quod intenditur. Deinde semper in assensu conclusionis ob præmissas, licet non sit motum meus assensus, sed id cui assentior, indubiè tamen præsupponitur etiam assensus præmissis, si enim illis non assentior, quomodo ob illas assentior.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Si conclusio respiceret objecta præmissarum etiam habitus conclusionis respiceret objecta præmissarum. Sed non respicit, quia aliàs nemo posset meminisse conclusionis, quin hoc ipso meminere præmissarum, cuius oppositum experientia probat: possum enim meminisse solius Dei, quem primò cogno-

cognovi ex creaturis, & non meminisse creaturarum. Sequela principalis probatur. Quia habitus debet esse similis actibus ex quibus est genitus: Ergo si actus respiciunt objecta præmissarum, etiam habitus ex illis geniti, respiciunt objecta præmissarum.

RESPONDETUR. Quod nemo possit meminisse conclusionis, quin hoc ipso meminerit præmissarum per se loquendo, si sint omnia ad agendum & cognoscendum utrumque objectum requisita, secus si non sunt omnia ad agendum & cognoscendum utrumque objectum requisita.

EXPLICATUR adlata distinctio. Species, imò & habitus ex actibus respicientibus objecta præmissarum relictus, etiam si ex parte sua indivisibiliter tam conclusionem quam motivum illius sive objectum præmissarum repræsentet, potest tamen excitare cognitionem de uno objecto, non verò de alio: sic dantur in Angelis species concretae perfectiores in perfectioribus Angelis, quarum perfectio in hoc etiam stat, ut una indivisibilis species, repræsentet plura objecta, non semper tamen omnia, sed nunc hæc, nunc illa. Et sicut species visibilis vel propter suam imperfectionem, vel propter dispositionem subjecti pravam, fieri potest, ut non repræsentet rationem individualement vel specificam coloris: ut cum a longè oculus discernere non potest, quod in individuo, hoc sit coloratum, neque potest speciem cognoscere, an hoc sit viride rubrum: ita etiam fieri potest, ut species intellectualis, exciter cognitionem de uno objecto, & non de alio, quantumvis nata sit utriusque objecti cognitionem excitare. Porro tunc species utriusque objecti cognitionem non excitat, quando talia habet requisita, quæ non nisi unius objecti cognitionem excitare possunt, tunc autem non nisi unius objecti cognitionem excitare possunt inter cetera, quando non nisi unum objectum occurrit, & quando notitia unius objecti, non excitat species ad aliud etiam objecti repræsentationem. v. g. est in intellectu Pauli una species vel habitus assentiendi huic propositioni: Parentes mei mortui sunt, tamen hoc non obstante, si quis loquatur de morte suæ matris, poterit v. g. Paulus meminisse non nisi suæ matris, cò quod per sensum auditus, occurrit objectum, non nisi, mater, nec memoria matris, excitavit speciem de patre, quem aliàs posset excitare ex variis circumstantiis.

RESPONDERI 2. posset. Quod nemo possit meminisse conclusionis quæ conclusio est, quin hoc ipso meminerit præmissarum, licet possit meminisse conclusionis ut propositio est, quin meminerit præmissarum.

OBJICITUR 2. Objectum conclusionis habet ex se independentem ab objecto præmissarum vim, ad terminandum assensum. Ergo non est necesse, ut attingatur ab assensu conclusionis, objectum præmissarum.

RESPONDETUR. Quod objectum conclu-

sionis, independentem à præmissis, habeat vim ad terminandum assensum de se, secundum quod propositio est, non autem secundum quod conclusio, quæ secundum quod conclusio est, innititur principio: Quæ sunt eadem, adeoque respicit objecta præmissarum.

OBJICITUR 3. Si assensus conclusionis respiceret objecta præmissarum, non indigeret dependere à præmissis formalibus, sed indigeret: Ergo. Sequela probatur in tantum intellectus indiget præmissis formalibus, in quantum ipsæ, sunt manifestationes objecti, jam autem per nos ipse assensus conclusionis, esset manifestatio objecti, quia ipse ille assensus, diceret connexa extrema, cum aliquo tertio.

RESPONDETUR. Præmissas formales non requiri, ad conclusionem virtuale, tamen requiri ad conclusionem formalem & discursum, qui perficitur: tribus distinctis propositionibus, indigetque intellectus illis præmissis formalibus, tanquam clariùs distinctiusque præsentantibus motivum, cui pedetentim nata est assentiri ordinaria tenuitas ingenii humani.

INSTABIS 1. Assensus præmissarum non indiget applicari sibi motivum assentiendi ab aliis præmissis, saltem in demonstratione, quæ fit per prima principia: E. neque assensus conclusionis indigebit applicari sibi motivum assentiendi à præmissis.

RESPONDETUR. Quod assensus conclusionis ut propositio est, non indigeat applicari sibi hoc motivum à præmissis, sed tantum assensus conclusionis ut conclusio est: quare autem assensus conclusionis ut conclusio est, indigeat applicari sibi Motivum per præmissas, non indigeat autem tali applicatione assensus præmissarum, dat disparitatem Ovide. Quia facilius est assentiri objecto præmissarum propter se ipsum, quam assentiri objecto conclusionis propter objectum præmissarum, & ita facilius actus non supponit applicationem motivi factam ab alio actu, quam supponit actus difficiliorem.

RESPONDERI potest aliter transeundo antecedens & negando consequentiam, quare transire debeat antecedens patebit ex disparitate quæ talis est. Præmissæ vel sunt prima principia, & sic ipsa illorum evidentia, est ratio motiva, & applicatio motivi; vel sunt præmissæ deductæ ex primis principiis, & tunc evidentia derivata ab ipsis principiis lumine naturæ notis, est applicatio motivi; vel certè præmissæ, sunt propositiones probabiles, & sic rationem motivam, applicat illis imperium voluntatis. Non potest autem ostendi, quid applicet rationem motivam ad assensum conclusionis ut conclusio est, quia hæc ratio motiva debet esse principium illud: Quæ sunt eadem uni tertio. Quod principium applicari non potest, nisi conclusio respiciat objecta præmissarum.

INSTABIS 2. Potest eodem actu eligi medium propter bonitatem finis, quantumvis alio actu non sit applicata bonitas finis, seu quantum-

tumvis non præcesserit intentio finis, ab electione distincta: Ergo potest etiam præberi assensus conclusioni, quantumvis non præcesserit applicatio motivi facta à præmissis.

RESPONDET Oviedo: Dando disparitatem. Quia rationem motivam ad electionem mediorum independentem ab intentione finis distincto actu appetiti, potest applicare sufficienter, ipsum iudicium applicans utrumque objectum, hoc est bonitatem finis & bonitatem medii ad finem. Tale autem applicativum sufficiens illius principii: Quæ sunt eadem independentem à præmissis ostendi non potest. Deinde concedo, posse præberi assensum conclusioni, quamvis tempore non præcesserit applicatio motivi, vel per actum distinctum realiter, imò hoc contingit in omni discursu virtuali, sed nego, quòd possit præberi assensus conclusioni, si nec virtute præcesserit applicatio motivi, sicut debet præcedere intentio finis, quamvis non distincta realiter ab electione.

CONSIMILEM difficultatem proponit Arriaga. Electio non terminatur intrinsecè ad bonitatem finis. Ergo nec conclusio ad objectum præmissarum: Respondetque negando Antecedens postea Consequentiam, disparitatemque dat, quia voluntas est potentia libera, & sic potest amare bonitatem medii sibi propositam, & non amare bonitatem finis, intellectus autem est potentia necessaria. Cum ergo in conclusione deducta ex præmissis, clarè proponatur connexio extremorum cum medio, non potest illi connexioni non assentiri intellectus, assentiri autem illi connexioni, est respicere per nos objecta præmissarum. *Vrīg, difficultati.*

RESPONDERI potest 2. Concedendo totum, si procedat de discursu in conclusione virtuali, non autem si procedat de discursu conclusionisq; formali ut dictum supra.

INSTABIS 3. Ergo in conclusione semper debent repeti præmissæ.

RESPONDET Arriaga. Debere illas repeti non exterius sed interne, pro repetitione autem illarum externa substituitur vox *Ergo*, quæ idem significat ac si dicerem. *Itaque, Propter hoc, Sequitur, Inferitur hoc vel illud*: hinc nemo experitur se assentiri conclusioni ut conclusio est, & tamen non propter præmissas, nemo enim est qui assentiat conclusioni non apponendo illi particulas *Ergo*, *Itaque*, proinde &c. hæ autem particulae indicant fieri assensum propter objecta præmissarum. Quanquam etiam si non experiretur quis, se idè assentiri, parvum inde foret argumentum, quia de actibus intellectus, difficilis est experientia, habemus enim ante quodlibet iudicium duas vel tres apprehensiones, aliam apprehensionem subiecti, aliam prædicati, aliam totius propositionis, & tamen posset quis negare, quòd experiamur nos illas habere, non enim hæ cognitiones, movent distinctionem sui memoriam.

RESPONDET aliter Oviedo. Non repeti præmissas ut quod, sed ut quo, quod non est propriè repeti præmissas, sed respici illas ut motivum.

OBJICIT 4. Possibilis est assensus conclusionis qui non respiciat objecta præmissarum. Ergo non est de ratione conclusionis respicere objecta præmissarum.

RESPONDETUR. Possibile esse conclusionis assensum ut propositio est, qui non fiat propter præmissas, impossibilis est tamen assensus conclusionis ut conclusio est, qui non fiat propter præmissas.

OBJICIT 5. Si conclusio respiceret objecta præmissarum ex falso nunquam posset sequi verum, sed potest sequi ut fert proloquium Dialecticum. Ergo. Probat: Maj. Quotiescunque præmissæ falsæ sunt, & earum objectum non existens, tunc assensus conclusionis attingens objecta præmissarum, semper attingeret objectum non existens: Ergo esset semper falsus.

RESPONDERI potest ex Arriaga, quòd ex falso nunquam interne possit sequi verum, sed tantum in externa argumentatione.

CONTRA ex Oviedo, quia conclusio vocalis substituitur loco mentalis, responderetque conceptui interno: Ergo si vocalis erit falsa conclusio, etiam mentalis erit falsa.

RESPONDERI potest 2. ex Oviedo. Idè ex falso sequi verum, quia id quod infer per legitimam consequentiam à parte rei existit, sicut inferitur. *Sed*

CONTRA est. Quia si inferat aliquis idè Petrum esse animal, quia est lapis, quomodo à parte rei existit hoc, sicut inferitur, cum à parte rei, non ex esse lapidis in Petro, oriatur ratio animalis. Deinde si per legitimam consequentiam à parte rei id, quod inferitur existit sicut inferitur: Ergo nunquam poterit ex falso sequi falsum, semper enim id quod inferitur, existit prout inferitur. Cujus tamen oppositum & Dialectica & experientia docet.

RESPONDERI potest 3. ex eodem. Ex eo se qui ex falso verum, quia objecta præmissarum non attinguntur ut quod, sed ut quo, Veritas verò non desumitur ex conformatione cum objecto ut quo, Sed cum objecto ut quod.

CONTRA est. Si veritas & falsitas non desumitur nisi ex objecto ut quod, conclusionis autem assensus, non attingit objecta præmissarum ut quod, quomodo ex falso sequetur verum. Deinde hoc principium dialecticum ex falso sequitur verum procedit de falso quod se habet tanquam ratio motiva seu ut quo, explicandum ergo restat, quomodo ex falso tanquam motivo, sequi potest verum.

RESPONDETUR ergo aliter. Ex falso scilicet posse sequi verum, non absolute, sed ex suppositione præbii præmissis assensus, & ita conclusionis assensus attingit objectum non existens quidem

quidem absolute, existens tamen ex suppositione, adeoque verus erit ex suppositione.

INSTABIS. Si Conclusio respiceret objecta Præmissarum, sequeretur eundem actum posse esse affirmativum & negativum, certum & incertum &c. Sed hoc est absurdum, E. Sequela probatur. Posset esse una Præmissa affirmativa, alia negativa, una certa & alia probabilis, Ergo unus idemque actus, potest esse affirmativus & negativus, certus & incertus.

RESPONDETUR. Hanc Objectionem in aliis materiis solvendam esse etiam oppositus, qui censent per primam operationem posse totum Syllogismum concipi, quomodo illic non erit idem actus certus & incertus, affirmativus & negativus. Rursus formetur hæc Secunda Operatio. Petrus est, & est lapis: ista propositio per obiectantes est simplex qualitas, quomodo igitur idem actus non erit simul certus & incertus. Responderi itaque potest, unam eandemque propositionem, æquivalenter multiplicem, posse esse affirmativam & negativam, ad illud de certitudine & incertitudine dico quod supposito, supposito inquam quod obiectum Conclusionis sit certum, incertæ autem Præmissæ, tunc illæ Præmissæ quantum est de se, falsæ sunt, ex suppositione tamen præbiti assensus, assentiendi non sunt falsæ. Consequenter poterit idem actus esse certus & incertus, incertus quantum est de se, certus autem ex suppositione præbiti assensus.

OBJICIT 6. Mastr. Disp. XI. n. 22. diversis actibus debent attingi Conclusio & Præmissæ, Ergo Conclusio non attingit formaliter Principia.

RESPONDETUR. Si per formaliter attingere Præmissas, intelligatur quasi scilicet in Recto non debeant tunc attingi Præmissæ, & quod alio modo attingantur dum ponuntur pro Majori & Minori, vera est propositio: si autem per formaliter attingi intelligatur, quod nullo modo tunc intelligantur attingi, falsa est propositio. Quod enim in Conclusionem Præmissæ attingi debeant, probatum est. Quod autem debeant attingi alio modo Ratio est: Quia quando dico albedo disgregat visum, & quando dico paries albus, alio modo attingo albedinem, nam in priori casu attingo illam directè, in secundo casu attingo in obliquo, ita quando Præmissæ in Majori & Minori attinguntur, attinguntur directè, in conclusionem autem indirectè, directè enim attingitur Conclusio cui fit assensus propter Præmissas. Assensus item Præmissis antecedenter exhibitus, est assensus propositionum, assensus autem Conclusionis est assensus propter propositiones, quibus jam supponitur, præconcessus assensus.

INSTATI. Ergo idem actus producit & habitum Principiorum & Conclusionum.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Quia habitus Principiorum est habitus assentiendi

Principiis ut propositiones sunt, quibus tamen talis assensus non exhibetur, sed tantum nascitur habitus similis actui, nempe assensus Ob assensus *Ed quod* adeoque assensus Conclusionis, propter Præmissas.

INSTAT 2. Ergo idem actus ut terminatur ad Principia, esset causa sui ipsius ut respicit Conclusionem.

RESPONDETUR. Non esset causa sui ipsius, sed tantum repræsentaret idem actus, sui motivum: diceret enim in intrinseca sua ratione, se fieri propter Præmissas. Causatio enim actus, aut est elicitiva, & hæc habetur à potentia, aut est motiva seu obiectum movens; jam autem ille actus, non esset sibi obiectum movens, sed tantum fieret ob obiectum motivum, quod attingit.

INSTAT 3. Ergo idem actus attingeret obiecta tam diversa.

RESPONDETUR. Quia ille actus attingeret obiecta habentia unitatem mobilis quod est Conclusio, & motivi, quod est fieri propter præmissas; ideo ille actus, non attingeret obiecta, simpliciter diversa.

OBJICITUR 7. Medium non includitur in Conclusionem, includeretur autem, si assensus Conclusionis, attingeret Præmissas.

RESPONDETUR. Medium non includitur in Conclusionem per modum Obiecti probati, probaretur enim idem per idem, adeoque nihil: includitur tamen per modum obiecti probantis, & ratione cuius probativi, fit ille assensus.

QVÆSTIO III.

De Conclusionem.

UT decernatur de Difficultate, præmittenda sunt aliqua.

DIFFICULTAS I.

Præmittuntur quedam ad statum questionis intelligendum.

PRÆMITTO 1. *Esse in hoc difficultatem*, An postquam aliquis assensum exhibuit Præmissis, ante assensum quod iudicet extrema Conclusionis esse connexa cum medio, prærequiratur cognitio quæ cognoscatur, rectè inferri ipsam Conclusionem; & hoc iudicium vocari solet à quibusdam Illatio præcedens ipsam Conclusionem, quæ hinc sumitur pro assensu, ultimo completivo discursus, pro assensu inquam qui fit propter Præmissas.

PRÆMITTO 2. *Posse concedi reflexionem supra bonitatem consequentia intercedentem & median-tem inter assensum Præmissarum & assensum Conclusionis*, ut expresse docet Smigletius disput. 13. quæst. 2. Consentit Arriaga disp. 15. Logica lect.

† Ss

sect. 3. n. 22. quod maxime admitti decet circa Syllogismos imperfectos. Et rationem dat Ariaga, quia vis Syllogistica, innititur illi Principio: Quæ sunt eadem. Cum ergo in imperfecto Syllogismo, possit non apparere clarè hæc vis, ergo circa illam nova indagine egebit intellectus, qui tunc necessariò & inevitabiliter infert Conclusionem, cum habet omnia ad concludendum requisita, inter quæ est, clarè videre quòd Syllogismus innitatur huic principio: hinc non infinitum procedet intellectus in istis reflexionibus, sed eò usque, quòd non pervenerit, ad claram cognitionem quòd hic Syllogismus illi Principio evidenti innitatur: Quæ sunt eadem.

PRÆMITTO 3. *Cognitionem hanc de bonitate Illationis secundam Operationem fore.* Ita expressè Smigletius loco citato. Rationem dat, quia hoc iudicium de bonitate illationis vel infertur ex alio iudicio, vel non infertur, si non infertur, Ergo non est iudicium tertiæ Operationis, quia tertia Operatio in Illatione iudicii, ex iudicio consistit, si infertur, ergo erit Conclusio, quia iudicium tale, est Conclusio, Ergo non præcedit Conclusionem. Deinde tertia Operatio, in ratione tertiæ, ultimò completur per Illationem, sed illud iudicium de bonitate consequentiæ non est Illatio, aliud enim est inferre, & aliud dicere; Inferendum bonè: sicut aliud est dicere: aliquid bene faciendum, aliud verò facere. Cum ergo illud iudicium tantum dicat, bonè faciendum, seu bonè inferendum, hoc ipso non inferet, consequenter hoc ipso non erit Illatio, adeoq; deficiet à ratione tertiæ Operationis.

PRÆMITTO 4. *Aliam esse Præmissam formalem, aliam Præmissam objectivam.* Præmissa objectiva, est ipsum objectum assensus actualis præbiti. Præmissa autem formalis, est ipse actus intellectus, assentiens illi prævio objecto. Dubitari ergo solet (& hic est secundus status questionis) an supposito, quòd Conclusio respiciat objecta Præmissarum, necessaria sit reflexa cognitio, quæ sit vel apprehensio simplex, vel iudicium quod attingat & cognoscat objectum Conclusionis, esse connexum cum objecto Præmissarum, ita ut postea huic vel apprehensioni vel iudicio succedat, ipse actus Conclusionis. Et hunc statum questionis jam definivimus, ubi diximus objectum Conclusionis respicere objecta Præmissarum.

PRÆMITTO 5. *Quod non sit necessaria cognitio reflexa de Præmissis formalibus seu ipsis actibus intellectus quæ præcedat ante Conclusionem.* Ratio est. Quia hæc cognitio otiosa esset, hoc ipsæ enim quia cognoscuntur objecta illarum Præmissarum formalium, cognoscuntur & ipsæ formales Præmissæ, sine ulla reflexione. Idque ideo: quia Præmissæ formales, sunt signa formalia, signa autem formalia sine reflexa cognitione ducunt nos in sui, & ejus quod significant objecti significationem.

PRÆMITTO 6. *Ordinariè sentire Doctores, quòd attento statu questionis quem Præmissis primò exposui, de bonitate consequentiæ, non debere esse cognitionem quæ sit iudicium.*

RATIO est. Tum quia. Si daretur illic iudicium tale, hoc ipso illud iudicium esset Conclusio, Ergo si deberet præcedere hoc iudicium Conclusionem, Conclusio præcederet Conclusionem. Antecedens probatur quia iudicare quòd v. g. ex rationali inferatur bonè Petrum esse animal, est formaliter habere assensum Conclusionis. Tum quia daretur processus in infinitum in istis iudiciis, in isto enim Syllogismo: Omne rationale est risibile, Omnis homo est rationalis, Ergo omnis homo est risibilis, in isto inquam Syllogismo, ante Conclusionem, necessarium esset hic iudicium, iudicans hoc bonè iudicari, & ante hoc ipsum, aliud, & sic in infinitum: cur enim ante unum iudicium requireretur aliud & ante hoc aliud, tertium non requireretur. Tum quia nulla est necessitas hujus Iudicii, & nullum fundamentum adstruendi illud.

PRÆMITTO 7. *Remanere adhuc difficultatem: An ante Conclusionis assensum seu Iudicium, quod sit propter Præmissas, necessaria sit saltem cognitio apprehensiva de bonitate Consequentia, & an ea distincta esse debeat, tam ab ipso Iudicio consequentis, quam ab ipso Iudicio Præmissarum. Eapropter sit*

DIFFICULTAS II.

Decernitur de Difficultate.

DICENDUM est 1. *Ad Syllogismum necessariam est cognitio de bonitate Consequentia.*

PROBATUR I. Quia sciens Syllogisticè, nunquam posset scire quod sciat, scientem autem vult Aristoteles scire quod sciat. Sequela probatur. Ille non potest scire quod sciat Syllogisticè, qui nescit hanc suam scientiam rectè & regulariter inniti principio illi quæ sunt eadem: scire enim Syllogisticè, est scire propter hoc Principium. Sed qui non cognoscit bonitatem Consequentia, ille nescit hanc suam Scientiam, rectè & regulariter inniti illi Principio, Quæ sunt eadem unitertio. Ergo Minor probatur, quia nos per cognitionem de bonitate Consequentia, non aliud intelligimus, quam cognitionem, quòd hic actus innitatur illi principio.

PROBATUR 2. Si non daretur Cognitio de bonitate Consequentia, ergo Syllogismus non esset aliud quàm tria iudicia, duo de Præmissis, unum de Consequenti, seu de ipsis extremis in Conclusionem contentis, quod absurdum esse, supra probatum.

PROBATUR 3. Si in Syllogismo non daretur cognitio de bonitate Consequentia, sequitur si Tyro neget Aristoteli Consequentiam, temere-

re negatā Consequentia, tunc primum plus sciturum Aristotelem de suo Syllogismo, sciet enim tunc primum, post negatam Consequentiam, sibi non potuisse negari Consequentiam, suumque Syllogismum inniti illi Principio: Quæ sunt eadem uni tertio, quod antea de suo Syllogismo non cognoverat.

DICENDUM 2. *Cognitio de bonitate Consequentie, non debet esse distinctus actus à Judicio Consequentis seu ab assensu qui exhibetur extremis Conclusionis propter Præmissas, sed ex istis duobus constari debet Conclusio; Eandem Conclusionem sic proponit alii Judicium illativum non debet esse distinctum realiter à Conclusionem. Alii sic. Assensus illativus, non est distinctus realiter à judicio enuntiativo, quod est in Conclusionem. Alii sic. Non est necessaria Cognitio de bonitate illationis, quæ præcedat ipsū assensum Conclusionis. Alii denique sic: Non est distinctus actus in Syllogismo judicium de bonitate Consequentie à judicio Consequentis. Ita Hurtadus dis. 7. Animas: Sect. 5. Arriaga, Oviedo &c.*

PROBAT 1. Hurtadus, Nulla est necessitas hos actus multiplicandi, ut patebit solutione objectionum.

PROBAT 2. Quia omnibus expensis, quæ ad Syllogismum ex dictis requiruntur, tandem inferri debet, quod cum sit necesse à Conclusionem respici objecta Præmissarum, item quod cum sit necesse attendere ad bonitatem Consequentie, necesse est formare Conclusionem, quæ sit assensus ob motivum rectè dispositum: non esset autem ullus assensus ob motivum rectè dispositum, si non esset indivisibile judicium illativum, & ob nexum cum Præmissis & ob legitimam collocationem.

PROBAT 3. Si judicium Consequentie & Consequentis esset distinctum, sequeretur tertiam Operationem non esse distinctam essentialiter à secunda, sed hoc est absurdum. Ergo: sequela probatur, non distingueretur tertia Operatio à secunda per Præmissas ut clarum est, non distingueretur per judicium Consequentie ut dixi Præmissis 3. non etiam per solum judicium Consequentis, quia hoc se solo, non plus importat, quam judicium quo judicetur extrema Conclusionis esse inter se connexa, Ergo.

ADD O. Actum illum qui est cognitio Consequentie, & simul judicium Consequentis, esse æquivalenter multiplicem: æquivalens enim pluribus seorsim reperibilibus, ita ut idem judicium in quantum attendit ad dispositionem mediæ Termini, seu figuram & modum sit cognitio Consequentie, in quantum autem attendit ad connectionem extremorum inter se propter præmissas, est judicium Consequentis ut Consequens est.

DICENDUM est 3. *Ante judicium Consequentis & Consequentie præcedere debet simplex apprehensio utriusque extremi in Conclusionem contenti.*

PROBATUR. Ante omne judicium præsupponitur apprehensio, sed hic est judicium de extremis Conclusionis, Ergo eorum apprehensio præcedere debet, & quidem hæc apprehensio debet esse condistincta à judicio Præmissarum & apprehensione: ratio est, quia per Præmissas non proponitur clarè identitas extremorum Conclusionis inter se, sed tantum per Præmissas proponitur identitas extremi unius cum medio termino.

OBJECTIONES

Contra Conclusionem Tertiam.

OBJICITUR 1. Non experimur in nobis hanc præviam apprehensionem.

RESPONDETUR. Non experimur, non quod de facto non sit, sed quia difficilis est experientia actuum intellectus, propter celeritatem operandi intellectui debitam, & quia hæc apprehensiones non cadunt nobis sub sensum, ea verò nobis sui certiore & magis reflexam cognitionem movent, quæ sub sensum cadunt.

OBJICITUR 2. Ad apprehensionem non prærequiritur alia apprehensio, Ergo neque ad judicium Consequentis prærequiritur apprehensio condistincta.

RESPONDET Arriaga dando disparitatem. Quia si ante unam apprehensionem daretur alia apprehensio, daretur processus in infinitum in istis apprehensionibus; si autem detur ante judicium apprehensio, non dabitur processus in infinitum, sed stabitur in illa apprehensione, & sicut in judiciis forensibus ante judicium proponitur causa, ante quam propositionem non requiritur alia propositio, ita & hic.

DISPARITAS 2. Potest esse. Quia ut intellectus apprehendat aliquod objectum; sufficienter applicari potest, vel per sensum cognitiones, v. g. ut videndo Petrum cognoscat Petrum, vel ex similitudine objecti sensibus percepti, deveniendo in apprehensionem similis objecti, quod tunc sensibus non percipit, idque propter excitationem phantasmatum relictorum ex simili cognitione, vel ad apprehensionem objecti alicujus sufficienter applicatur, à bona ut vocat Aristoteles fortuna, sive à DEO tanquam autore Naturæ si sit apprehensio Naturalis, à gratia autem quæ vocatur In, seu Præveniente si sit apprehensio supernaturalis: quæ vocatur gratia In, ut condistingatur à gratia cooperante, quæ vocatur gratia Cum. Jam autem non habetur à quo connaturaliter applicari possit intellectus ad formandum judicium, nisi à prævia propositione seu apprehensione objecti, non enim ab ipsa Cognitione sensuum applicari poterit, quia sensus non attingit judicium de identitate extremorum: non etiam à DEO ipso, quia si nihil obstat, potius referri hoc de in aliquid aliud, & non in istam applicationem à DEO factam. Non est enim Philosophicum ad Deum recurrere, si non desint alia remedia respondendi, ut hic non desunt.

† Ss 2 Objic-

OBJICITUR 3. Per se notum est, esse eadem inter se, quæ sunt idem cum tertio, Ergo ipso eo quod videat intellectus hæc extrema esse idem uni tertio, videbit illa esse idem secum: sed præcisè ratione Præmissarum noscit extrema identificari Uni tertio, Ergo præcisè ratione præmissarum, determinatur ad judicandum, identificari extrema inter se.

RESPONDETUR. Negando absolute subsumpti Antecedens, quia ratione Præmissarum noscit solum intellectus prædicatum & subiectum: non noscit autem idem illa esse inter se, propter identitatem cum tertio, nisi in Conclusionem.

Contra secundam Conclusionem

RESPONDETUR I. Particula illativa *Ergo* non est nota quarti iudicii, Ergo iudicium Consequentia & Consequentis, non est idem. Antecedens probatur. Particula *Ergo* est seorsim & separatim significativa, Ergo debet illi particulare obiectum respondere: sed nisi esset quartum iudicium nihil esset quod illi responderet.

RESPONDETUR. Negando Antecedens, Probationi ejus Nego subsumptum. Illud autem quod respondet particulæ *Ergo*: non aliud est realiter à iudicio Consequentis, sed aliud formaliter, in quantum scilicet illud iudicium, fit propter Connexionem cum Præmissis rectè dispositis: quantumvis idem iudicium, in quantum iudicat extrema Conclusionis esse connexa inter se, sit iudicium Consequentis.

INSTABIS. Particula *est* posita in Propositione, distinguitur realiter à cognitione versante circa Prædicatum & Subiectum, cognitio enim versans circa Subiectum & Prædicatum, est prima Operatio, per particulam verò *Est* indicatur Iudicium, quod est distinctum realiter à prima Operatione. Ergo & Iudicium illativum seu Consequentia, denotatum per particulam *Ergo* distinguitur realiter à Iudicio Consequentis.

RESPONDETUR. Disparitatem assignat Smigletius in Enuntiatione inquit nec Prædicatū nec Subiectum potest esse Iudicium, Unde iudicium Enunciativum necesse est distingui realiter ab utroque. At in Illatione, Conclusio ipsa est Iudicium, cui si addatur quod causetur ex Præmissis, eo ipso erit Iudicium illativum seu Iudicium Consequentia. In Idem recidet si dicas, nisi ponatur Iudicium enuntiativum, distinctum à prima operatione, hoc ipso Propositiones seu Præmissæ requisitæ ad Syllogismum, non essent Propositiones; sed non nisi prima operatio: erit autem Conclusio tertia Operatio, quamvis Iudicium de bonitate Consequentia, sit idem realiter cum Iudicio Consequentis.

OBJICITUR 2. Ex alio Principio seu motivo sumitur Iudicium Consequentia & ex alio Principio seu motivo Iudicium Consequentis, Ergo hæc non sunt idem realiter, actus enim ex motivis diversificantur. Antecedens probatur.

Quia motivum Iudicii Consequentia, sunt principia illa: Dici de omni &: Dici de nullo, motivum autem iudicii Consequentis, sumitur ex connexionem cum medio Terminò, Ergo.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam & Probationem ejus nego universaliter. Certè enim unam eandemque numero eleemosynam, auditionem vel celebrationem sacri, possum facere ex diversis motivis, & tamen illa auditio, in quantum fit ex uno motivo, non erit à se distincta realiter, in quantum fit ex alio motivo, sufficitque ut diversi formalitati motivi, respondeat diversa formalitas iudicii.

OBJICITUR 3. Quæ sunt separabilia realiter, sunt distincta realiter, sed iudicium Consequentis & iudicium Consequentia sunt separabilia realiter, Ergo sunt distincta realiter. Minor probatur. Potest quis iudicare extrema Conclusionis esse connexa inter se, & non iudicare, esse connexa ex vi connexionis cum tertio rectè in præmissis collocato. Ergo.

RESPONDETUR I. potest. Negando Minorem, potest autem quis iudicare extrema Conclusionis esse connexa inter se, potest inquam iudicare iudicio debito Conclusioni ut Propositioni est, & non iudicare extrema esse connexa cum tertio, Concedo Antec. Potest iudicare iudicio debito Conclusioni, ut Conclusio est. Nego Antecedens & Consequentiam: hinc autem de tali iudicio agitur.

OBJICITUR 4. Cognitis iisdem Præmissis, potest aliquis assentiri Conclusioni rectè illata, & aliquis non assentiri, quod non potest in aliud referri, nisi quia non habet iudicium distinctum realiter de Consequentia, quod habet assentiens.

RESPONDETUR. Non in defectum iudicii distincti realiter de Consequentia esse hoc referendum, quando aliquis non assentitur Conclusioni rectè illata, sed quia vim præmissarum non penetravit. Vel quia iudicium illud Consequentis non habet formalitatem elicitam, etiam propter connexionem cum medio, rectè in Præmissis disposito.

INSTABIS. Inferre & iudicare quod rectè inferenda sit Conclusio, sunt distincta realiter, Ergo præter iudicium Consequentis, requiritur aliud iudicium Consequentia.

RESPONDETUR. Inferre & iudicare in actu signato, quod rectè inferenda Conclusio, non sunt idem: sed inferre ex præmissis & iudicare in actu exercito, quod rectè inferenda sit Conclusio, sunt idem realiter.

OBJICITUR 5. Si idem esset realiter iudicium Consequentis & Consequentia, idem iudicium posset esse verum & falsum sed non potest idem iudicium esse verum & falsum, Ergo. Sequela probatur. Potest esse Consequens verum, & tamen Consequentia falsa, ut si quis inferat hominem

hominem esse risibilem, quia est Leo, vel si argumentum non sit in forma, & tamen Conclusio sit in materia necessaria.

RESPONDETUR. Quod idem iudicium, sed habens plures formalitates possit esse sub una formalitate verum, sub alia falsum: Addunt alii, non posse esse supposito assensu Præmissarum consequens falsum formaliter, licet posset esse falsum materialiter. Unde qui assentiretur: Hominem esse rationalem quia est Leo, assentiri deberet huic universali: Omnis Leo est rationalis: hinc consequens jam esset formaliter verum, falsum materialiter.

INSTABIS. Ergo saltem non erit locus distinguendi Consequentis non distincta Consequentia: si enim sunt idem realiter, quomodo uno distincto, non distinguetur aliud.

RESPONDETUR. Identificatis realiter possunt diversa secundò intentionalia Prædicata convenire, distinctio autem illa spectat ad secundam intentionem. Deinde iudicium Consequentis & Consequentia sunt idem realiter per nos, sed falsum est, quod iudicium Consequentis, idem sit realiter cum Consequenti, negandoque ulterius quod istud iudicium distinguatur, sed ipsum Consequens distinguitur. Quod non idem sit iudicium Consequentis & Consequens, inde est: quia iudicium de Consequenti est actus mei intellectus, Objectum autem illius iudicii est ipsum illud Consequens, quod non est actus mei intellectus, nec fit a me: immo si semel actus aliquis intellectus & aliquod iudicium distinguere poterit, nescio cur non & iudicium Consequentia distinguere poterit. Quod verò non iudicium Consequentis, sed Consequens distinguatur hoc inde est, quia respondens non attendit primariò ad iudicium quod habet oppugnans, sed ad objectum quod sibi proponitur & facessit difficultatem, quam ut evadat, sternit sibi viam distinguendo & dividendo objectum, non facessit enim illi iudicium oppugnantis difficultatem, sed ipsum objectum. Unde fieri potest, ut oppugnans non præbeat assensum Consequenti, & tamen illud Consequens facesset difficultatem oppugnato, ergo apparet quod ad objectum attendatur, non ad conceptum oppugnantis.

DIFFICULTAS III.

An Conclusio sequatur debilior. m. partem.

DICENDUM est *Sequi.* Est enim hæc axiomata commune Dialecticum: quod ita intelligendum est. Conclusio non excedit suam perfectionem in Certitudine & Evidentia, non excedit inquam Certitudinem & Evidentiam Præmissarum: nec potest inferri major connexio inter extrema, quam fuerit connexio eum medio termino, & ita si fuit una negativa Præmissa aut

Particularis, debet esse & Conclusio Negativa aut Particularis.

PROBATUR 1. à Summulistis. Quia cum conjunctio extremorum cum medio termino, sit ratio formalis propter quam conjunguntur extrema inter se, si in Præmissis non fuit perfecta conjunctio extremorum cum medio termino, nec in in Conclusionem erit. Sicut si albedo non est alba, quomodo faciet album, ita si non fuit conjunctio perfecta cum medio termino, quæ conjunctio est ratio formalis conjungendi extrema inter se, quomodo extrema inter se conjungentur.

PROBATUR 2. Non potest ostendi quomodo bene Conclusio Affirmativa inferri possit, si fuit Negativa Præmissa. Item quomodo poterit inferri Conclusio Universalis, si præcessit Particularis: immò in tali Syllogismo ostendi posset error, & ubi negata illi fuerit Cōsequentia, impossibile erit illam probare. Antequam aliam rationem pro Conclusionem proponam.

SUPPONO. Duae concausæ tripliciter concurrere posse ad eundem effectum, Primò enim concurrunt ita, ut unum fortius tribuat vires debiliori, ut cum v.g. Lumen gloriæ, concurrat cum intellectu ad producendam visionem beatificam, tunc tribuit intellectui vires ad agendum, item cum Pædagogus concurrat cum puero ad formandos characteres, tribuit ei quodam modo vires, ad formandos characteres. In tali semper casu effectus sequitur Nobiliorem agentem. Secundò Concausæ concurrere possunt ad eundem effectum ita, ut ambæ propriâ virtute agant, & ut ex activitate utriusque, efficiatur una continuata activitas: & ita fit cum fax v.g. cum parva candela, illuminat tenebrosum locum, item cum equus fortis unâ cum debili trahit currû: & in tali casu, superat effectus utramque causam, plus enim trahere possunt equus robustus & debilis, quam solus robustus. Tertiò Concurrere possunt Causæ ad effectum ita, ut ambæ quidem propriis viribus agant, sed ita, ut debilior restringat perfectionem nobilioris, & ita tibia recta, restringitur à tibia curva, ad faciendam claudicationem. Itē anima spiritalis concurrens cum organo restringitur ad faciendam sensationem, producendumque effectum materiale. Item Causa Prima concurrens cum causa secunda, producit actum peccaminosum, effectusque sequitur debiliorem partem.

ADDI posset quod tunc, quando concurrunt aliæ concausæ ad eundem effectum, sed ita ut virtus unius agat in virtutem aliûs, tunc producit effectus utrique aliquo modo dissimilis, ut contingit in generatione muli. Hoc præmisso.

PROBATUR 3. Conclusio. Præmissæ concurrunt hoc tertio modo ad faciendam Conclusionem, Ergo debiliorem Præmissam Conclusio sequi debet. Antecedens probari potest. Quia non est intelligibile, quomodo perfectior Præmissa,

missa, influat in imperfectiorem, quomodo item affirmationis & negationis item veri & falsi, &c. quomodo inquam eadem possit esse activitas, Ergo apparet Præmissas non nisi hoc tertio modo agere, in quo agendi modo, semper effectus debiliorem partem sequitur. Mansit adhuc difficultas de voce. Concesso enim quod si præcessit Particularis, debeat sequi Conclusio Particularis, concesso quod si præcessit Conclusio Negativa, sequi debeat Conclusio Negativa, negant tamen aliqui hoc esse, sequi debiliorem partem. *Sed*

DICENDUM 2. *Inferri Conclusionem Particularem ex Particulari Præmissa, inferri Conclusionem Negativam ex Negativa Præmissa, est Conclusionem sequi debiliorem partem.*

PROBATUR. Quia hæc tota quæstio est quæstio de voce, cum ergo tota Peripatetica Schola propositionem Particularem & Negativam appellet debiliorem, & quia ad significandum hæc quod ex Præmissa particulari sequi debeat Conclusio particularis, quod ex Negativa Præmissa sequi debeat Conclusio Negativa, ad hoc inquam significandum utantur Philosophi his terminis, Conclusio sequitur debiliorem partem. Ergo cum illis similiter loquendum est. Restat explicandum, cur propositio Negativa, itemque Particularis, appelletur pars debilior.

EXPLICAT 1. Quidam, quare Particularis vel Negativa Conclusio debilior pars appelletur, quia esse tam forte, ut per illud alia Propositio totaliter expugnetur est esse fortius illo, quod non potest totaliter expugnare aliam propositionem. Sed hæc propositio, Omnis homo est albus, est talis, ut per illam totaliter exponetur hæc propositio Nullus homo est albus, per hanc verò propositionem. Aliquis homo non est albus, non expugnatur hæc propositio Nullus homo est albus, dato enim quod aliquis homo non sit albus nondum per illud tollitur quominus Petrus vel Paulus sit albus. Hinc Propositio Particularis, non est ita fortis ac Universalis, nec ita debellat Negativam v.g. Universalem. Hæc explicatio.

NON SATISFACIT, quia tam bene hæc universalis: Omnis homo est albus, expugnatur per hanc: Nullus homo est albus, quā bene per illam priorem propositionem hæc posterior expugnatur, Ergo tam fortis erit Affirmativa quā fortis Negativa. Et tamen Conclusio sequens Universalem Negativam, dicitur sequi debiliorem partem. Particularis hæc; Aliquis homo non est albus falsam absolute reddit illam propositionem; Omnis homo est albus. Unde dicitur communiter, ad infringendam Universalem, sufficit una Particularis, Ergo illam expugnare potest cur ergo debilior erit?

EXPLICAT 2. Idem. Quia Particularis addita Particulari, Negativa etiam addita Negativæ, non habet vim & robur sufficiens ad inferendam Conclusionem: Addita autem affirmativa

Negativæ, addita Universalis Particulari, habet vim ad inferendam Conclusionem. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. quia hoc non ex debilitate aliqua proficiscitur quod Particularis addita Particulari non inferat Conclusionem, sed hoc inde proficiscitur, quia in illo Syllogismo nullibi distribueretur medius terminus. Negativa item addita Negativæ non inferat Conclusionem non quod sit debilis, habet enim robur sufficiens ad destruendam Universalem Affirmativam, sed quia est regula universalis, ex puris negativis nihil sequitur. Et sicut quando in secunda figura, Affirmativæ additur alia Affirmativa, non possunt construere Syllogismum, nec inde sequitur ex illis alterutram esse debilem: sic quia ex Particularibus itemque ex Negativis non potest constitui Syllogismus, non sequitur inde aliqua debilitas in illis.

EXPLICAT 3. Quare Negativa propositio itemque Particularis sit pars debilior. Affirmatio importat esse, Negatio tollit esse, ergo Affirmatio est perfectior Negatione, cum esse perfectius sit, quā non esse, & quamvis negatio importet aliquam perfectionem, ut cum negatio Creaturæ in DEO, importat in DEO perfectionem, hoc tamen non facit ratione sui, aliā negatio Creaturæ, quæ est in Chimæra adderet perfectionem Chimære: sed negatio Creaturæ in DEO, importat perfectionem, propter esse cui adnectitur illa negatio: & ita non esse Dei in Petro non est perfectio, quia non impletur perfectione Creaturæ, in Deo verò non esse Petri, est perfectio, quia superatur, impletur, & exceditur perfectione Divina. Quod si perfectior est Affirmatio Negatione, debilior erit quia Logici nomine debilitatis intelligunt imperfectionem. Ex eo etiam Negatio potest dici debilior, quia Negatio fundatur in esse seu positivo, adeoque nō habet robur, ut sit sine illo, fortius autem erit positivum, quia & in se existit, & portat supra se negationes, illorumque debilitati succurrit sua positivitate.

Quod Particularis sit debilior & fortior Universalis exinde deduci potest. Quia quod habet & hoc, & præter illud aliud, & aliud simile, hoc ipso robustius est: unde etiam ratio robusti intensivi, additione gradus ad gradum perficitur, & unum aliquod, non est ita robustum, ac plura similia: quia autem Universale plura Particularia similia continet, ideo Universale robustius erit & Particulare debilius. Potestque idem instantiis firmari. Quia etiam funiculus triplex difficile rumpitur estque robustior præ uno. Consensus item Comitiorum robustior est præ consensu unius Nobilis. Denique innumerabilia & æterna robustiora sunt mutabilibus & temporaneis. Talia autem sunt Particularia comparatè ad Universalia.

OBJICITUR 1. *Contra primam conclusionem*: Aristoteles primo prior: C. 9. docet, Ex una propositione de modo necessario, & altera de ineffe, hoc est ex propositione contingenti sequi conclusionem necessariam: ut cum dico, omne currens necessariò movetur, Sortes est currens; Ergo sortes necessariò movetur: Ergo tunc conclusio si est necessaria, non sequetur debiliorem partem.

RESPONDETUR. Sicut ipsa Minor est necessaria ex suppositione, sortem enim currentem necesse est currere, ita & conclusio sequitur necessaria ex suppositione: si enim sortes currit, necessariò movetur.

OBJICITUR 2. Ex una falsa & altera vera potest inferri vera conclusio v. g. cum dico, omnis lapis est substantia, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est substantia.

RESPONDETUR. Ex suppositione præbiti assensûs Præmissis, sequi etiam conclusionem ex suppositione veram: deinde dici posset hanc conclusionem secundum quod conclusio est formaliter, falsam esse, quia falsum est ideò hominem esse substantiam quia est lapis, licet sit vera materialiter & quâ Propositio est. Nos autem hîc loquimur, quòd conclusio quâ conclusio, omnibus reliquis bene procedentibus, debeat sequi debiliorem partem.

OBJICITUR 3. Ex suppositione impossibili, potest sequi conclusio necessaria.

RESPONDETUR. Ita ut præteritæ objectioni, sed insuper

OBJICIT I. *contra secundam conclusionem* Pater Adrianus Pikarski, etiam in minutiis Dialecticis expendendis, ingeniosè accuratus. Particulare ex se, nec est firmum nec debile, quia particulare, nec est affirmativum nec negativum de se. Rursus negativum de se non est debile, quia negativum de se non est particulare: Ergo conclusio particularis deducta ex particulari præmissa, non est conclusio sequens debiliorem partem.

RESPONDETUR. Negan. Antec. Probat. Consequen. quia debilitatem negativæ, non ex particularitate, neq; debilitatem particularis, ex negatione deduximus.

OBJICIT 2. Particulare bonum, non præcisè quâ particulare, sed quâ particulare, bonum est, est minus perfectum bono universali, Ergo etiam & particulare verum, non quâ particulare, sed quâ particulare verum, debilius est universali.

RESPONDETUR. Cum in particulari propositione, sit nonnisi particulare verum, hoc ipso erit debilius verum, etiam ex mente sic arguentis.

INSTAT 1. Hoc particulare verum Petrus est rationalis, non est debilius verum præ vero universali, Omnis homo est rationalis.

RESPONDETUR. Particulare verum, est debilius Logicè, sed non est debilius alia acceptione, est inquam debilius Logicè, quia ipsa particularitas secundum explicationem, est debilitas, sed non est hoc sensu debilius verum, quasi non sit æquè verum quod Petrus sit rationalis, quàm quòd omnis homo sit rationalis.

INSTAT 2. Omnis homo est rationalis & nullus homo est lapis, sunt propositiones æquæ fortes.

RESPONDETUR. Non esse æquæ fortes ob fundamenta superius præacta.

INSTAT 3. Fortius est venenum medicamento, Ergo etiam fortior est negatio affirmatione.

RESPONDETUR. Posse esse medicamentum fortius veneno, sed quidquid sit de hoc disparitas est. Quia fortitudo physica attenditur penes excessum virium & activitatis, qui potest esse in veneno: fortitudo autem Logica, attenditur penes ea, quæ sunt in explicatione adlata.

OBJICIT 3. Hæc propositio, omnis homo est albus comparata ad hanc particularem. Hic homo est rationalis, non est magis fortis, imò hæc particularis est fortior, dicit enim insuperabilem necessitatem obiecti.

RESPONDETUR. Particularem dici debiliorem, comparatè ad suam universalem, dici etiam posset universalem propositionem etiam in materia contingenti, esse fortiorem Logicè, quamvis non sit fortior quoad materiam & obiectum quòd infert.